Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Konrad Samuel Schurzfleisch Gottfried Wagener

Conradi Samvelis Schvrzfleischii Introdvctio Brevis In Historiam Ecclesiasticam ...

Secvli Primi

Vittembergae: ex officina Ioannis Frider. Schlomachii, 1740

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X

Band (Druck) Freier Zugang

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0001
DFG

56. 4.

550

F.f — 1038 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0002
DFG

CONRADI SAMVELIS
SCHVRZFLEISCHII

INTRODVCTIO BREVIS

IN

HISTORIAM ECCLESIASTICAM

SECVLI PRIMI

QVAM

EX MS. EDIDIT

GODOFREDVS VVAGENERVS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0005
DFG

CONRADI SAMVELIS
SCHVRZFLEISCHII

INTRODVCTIO BREVIS

IN

HISTORIAM ECCLESIASTICAM
SECVLI PRIMI

QVAM

EX MS. EDIDIT

GODOFREDVS VVAGENERVS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0006
DFG

VIRO

SVMME REVERENDO MAGNIFICO AMPLISSIMO

EXCELLENTISSIMOQVE

DOMINO

CAROLO GOTTLOBIO HOFMANNO

DOCTORI ET PROFESSORI IN INCLYTA HAC AD ALBIM

ACADEMIA THEOLOGO LONGE CELEBERRIMO

ALVMNORVM SAXON. ADHVC EPHORO

SPECTATISSIMO

IAM VERO

CVRIAE ETIAM SACRAE ASSESSORI AD AEDEM

MARIANAM PRAESVLI ET SACRORVM VITTEMBERGENSIVM

ANTISTITI GENERALI SCHOLARCHAE ITEM


GRAVISSIMO

DOMINO PATRONO ET EPHORO SVO

OMNI MENTIS ET ANIMI CVLTV IN PERPETVVM


PROSEQVENDO

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0007
DFG



SCHVRZFLEISCHIANA HAEC
EX HISTORIA ECCLESIASTICA SECVLI PRIMI
DEPROMPTA
MORE MODOQVE VETERI
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
OFFERT ET CONSECRAT
NOVASQVE HONORVM ET DIGNITATVM
ACCESSIONES
EX ANIMO GRATVLATVR

M. GODOFREDVS VVAGENERVS
ORD. PHILOS. ADI. ET LYC. CONR.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0008
DFG

✲ ✲ ✲

O precor ingenium, precor et modulamina linguae,
Virgilii uenam, Pindaricoſque modos,
Vt mea Muſa TVAS uirtutes, OPTIME PRAESVL,
Extollat, ſuadam mellifluamque TVAM.
Nam, ueluti properant per apertos flumina campos,
Vt ſolet effuſae currere riuus aquae,
Sic TIBI facundae ſunt optima munera uocis,
Fluminis ac inſtar uerba diſerta fluunt,
Aut, ueluti grato demulcent corpora guſtu
Fortius expreſſis mella liquata fauis,
Sic TV perpetuo, SVMME VENERANDE PATRONE,
Plurima mulcendis auribus apta refers.
Vtque ſuos ſpargant radios ſacra dogmata Chriſti,
Perſpicua obſcuris mentibus illa facis.
Bella geris Domini, ſanctis uerſatus in armis,
Atque TVIS tradis, quomodo bella gerant.
Ergo TVVM Nomen cur non circumuolet orbem?
Cur TIBI non PRINCEPS praemia digna ferat?
TE celebrant omnes, quanto decet ore, TVASque
Ingenio dotes uberiore canunt.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0009
DFG

Cur ego non iungam plauſuſque, preceſque ſonoras,
Curque TVAS laudes non mea Muſa canat?
Inde TIBI hoc ſpecimen ſiſtit ſincera uoluntas,
Atque dicat tenuem, quem tueare, librum.
Excipe fronte, rogo, PRAESVL REVERENDE, benigna
Hoc opus, haud illi praeſidiumque nega.
Sic ſtrepitum uulgi felix ridebit et auſus,
Nec quoque curabit, quae metuenda forent.
Sed nunc uota fero, (nec enim, niſi uota, ſuperſunt,)
Quae fundo pro TE proque ſaluta TVA.
TE Deus omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas,
Soſpitet, et nunquam TE fera laedat hyems.
Triſtia nulla TVOS laedant mala, ſaeuaque damna,
Et ueniant coeptis fata ſecunda TVIS.
Nominis excreſcat celebris TVA gloria ſemper,
Et ſupra inuidiam tollat ad aſtra caput.
Audis? an fallor? reſonabilis aſſonat echo,
HOFMANNVM Numen proſperitate beet.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0010
DFG

C. S. SCHVRZFLEISCHII
ALLOCVTIO AD AVDITORES
CVM HIST. ECCLES. APERIRET SCHOLAS

Visum mihi decretumque est, res, in ecclesia gestas, a nato CHRISTO usque ad ea tempora, quibus Patres, praecipua ecclesiae lumina, floruerunt, tradere et complecti. Ac, si uobis constitutum libitumque erit, sequiorum temporum excutere historiam, ad hanc operam me non difficilem habebitis. Vestro id arbitrio stabit, mihi religio erit a uobis dissentire. Historiam ecclesiae per secula tradere, certamina super dogmata, causas, initia, exitus euentusque omnes, rimari, qualis ecclesiae facies ac fortuna subinde extiterit, accurate perscrutari, et omnes, quae ad ueteres ritus atque instituta pertinent, copulato et indissolubili quodam uinculo connectere, nostri erit instituti. Non me ita cepit obliuio, ut ignorem, me alia opera ritus ecclesiae ueteris tradere, sed, qui hic tradentur, eos cum seculo connectemus, et cum his notitiam dogmatum atque insignium doctorum coniungemus. Historia est eiusmodi disciplina, quae res singulas tractat, reliquae disciplinae res uniuersas tractare satis habent, e. c., si naturae interpres huius secreta rimatur, non cogitat de IOANNE et PAVLO, sed historia ea singula enumerat, et in eo a reliquis disciplinis recedit, quod, cum ceterae omnia generatim, haec singula persequatur ac tractet. Hic scopus ille, ad quem ueteres Graeci oculos intenderunt, quemque respiciendum monuerunt, si sapere uelimus. Haec enim fons est, unde omnis prudentiae riuuli deriuantur. Namque res historica rerumque causae, et earum accurata cognitio, ad memoriam acuendam, et ingenium expoliendum, quam maxime conducit. Tantum enim scimus, quantum memoria comprehendimus, et, quantum memoria complectimur, tantum iudicio diiudicare scimus. In rebus enim accurate discernendis et connectendis iudicio opus est. Si in ulla parte doctrinae iudicium dominatur, in hac certe rerum uarietate maximopere excellere, et utramquae paginam facere uidetur. Nonne iudicio opus est, cum scripta germana a suppositis discernenda sunt. FRANCISCVS ROBORTELLVS, clariss. Italus, cum

cum de arte critica librum excudisset, publice sibi gratulatus est, quod nemo ante se tradidisset, id se se primo auspicio tradidisse. Idem criticam partem historiae, et, quasi animam, uocat huius disciplinae. SCIOPPIVS criticam Latinam scripsit, qui criticam eodem ornat elogio. Nuper CROIVS, inter Caluinianos uir clarissimus, eleganti specimine, de Patrum scriptis iudicandis aliquid edidit, et erudito orbi ostendit, atque ad oculum demonstrauit, quantum HEINSIVS saepe ab hac regula aberrauerit, et scripta confuderit, nec falsa a genuinis, prout par erat, decreuerit. Si Patrum monumenta euoluimus, quam profunde, quam prudenter, in his rebus uersati fuerunt, ut non tam historicos, quam in historia eruditos uiros, se ostenderent. Talis fuit GREGORIVS M., qui, cum illo sanctissimo die, quo anniuersarium CHRISTI recolitur sacrum, uerba faceret, ita ex historia eccles. pertexebat hanc partem, ut non minus historicus, quam orator, esset. Dicebat enim, Facinus est uinciri Deum, scelus est uerberari, grauissimum delictum in crucem tollere. Ita summus uir Graece expressit CICERONEM, libro V in Verrem, qui, cum iura reipublicae Romanae describit his uerbis, Facinus est, uinciri ciuem Romanum, scelus uerberari, prope parricidium necari, quid dicam in crucem tollere. Quae et alia summus ille uir non nugis et ineptiis, sed singulari quadam ratione, ad CHRISTVM accommodabat. Sane haec ita dicebat, quasi DEMOSTHENES ad Graecos, aut CICERO ad Latinos, dixisset. Si hodie ea iniretur studiorum ratio, fateor, eruditionem multo magis lacertos mouere posse. Suscepi eas partes docendi priuatim historiam ecclesiasticam, unde sumenda et petenda principia sint, quo ordine tractanda sint, qui scriptores adhibendi, cetera, pro eo, ac par est, demonstrabo. Historiae acta, ecclesiae Concilia, Conciliorum decreta haec sunt, quae rem hanc plane integreque conficiunt. Sit hoc, nisi refugiatis, quasi prolusionis et introductionis loco. Quae aperiet uobis, quibus adminiculis, seu mediis, ut philologi loquuntur, hoc studium auspicandum, continuandumue, et ad exitum perducendum. Qualis finis est, talia adminicula ad adeptionem finis referatis. Non quaesitae et affectatae Latinitatis genus hic adhibebo, sed temperabo stylum, ut pro ratione argumenti planus ac facilis sit, et omnium captui accommodatus.

INTRO-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0012
DFG

INTRODVCTIO
IN
HISTORIAM ECCLESIASTICAM

Res ipsa loquitur, utilem esse historiam, quae res, in ecclesia gestas, continet, sigillatimque per secula, iusto et continuato ordine tradit. Nam id cum eruditionis interest, tum honoris ac dignitatis plurimum conciliat, maxime verum sacrarum cultoribus, ut sciant, quid, quibusque seculis, inter Christianos gestum, quae item regiminis ecclesiastici ratio et forma fuerit? quae porro dogmata a uafris peruersisque hominibus impugnata et asserta sint, qui ritus atque instituta in ecclesiam dimanarint? quae denique initia, ortus, progressus et exitus, certaminum extiterint, quomodo Patres atque doctores seorsim, seu coniunctim, propugnationem doctrinae susceperint, partesque prudenter, aut minus, peregerint, quae nescire neutiquam est uiri sapientis et eruditi.

II *Quae historia desumenda est partim ex Patribus et doctoribus, partim ex scriptoribus, qui ex instituto historiam ecclesiasticam condiderunt. Patres quidem ex instituto non scripserunt historiam, opera tamen ediderunt, ex quibus multum copioseque statum conditionemque illorum temporum, quibus uixerunt, intelligamus. Ita faciem secundi tertiique seculi, exemplo horrendarum persecutionum, colligere licet ex* IVSTINO M., ATHENAGORA, TATIANO, THEOPHILO, IRENAEO, CLEMENTE ALEXANDRINO, TERTVLLIANO, CYPRIANO, ARNOBIO, MINVTIO FELICE *et* LACTANTIO.

III *Similiter de* ARII, *deque Macedonii, certaminibus, cognoscimus ex* ATHANASII, BASILII, GREGORII NAZIANZENI *et* NYSSENI, *itemque* HILARII, *et* AMBROSII, *monumentis, atque ex actis Synodicis Concilii Niceni, quae uim et autoritatem probandi publicam habent. Sic etiam de Manichaeis, Donatistis, Pelagianis, et Nestorianis, atque Eutichianis, docemur ab* AVGVSTINO, CYRILLO, THEODORETO, LEONE M., *et in primis etiam informamur ex actis Synodi Ephesinae et Chalcedonensis.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0013
DFG

IV Scriptores, qui ex instituto historiam ecclesiae tradiderunt, sunt EVSEBIVS PAMPHILI, *Caesareae Palaestinae Episcopus, ut de se praefatur in opus historicum. Erat enim ille uir multo diligentissimus, et Tabellarii caesarei Praefectus, qui res priorum seculorum bona fide tradidit, sed interdum imprudenter recessit a* IOSEPHO *et* IVLIO AFRICANO. *Arianismi uulgo postulatur, idque argumento uocabuli* κτίζειν *probat* LAMBECIVS, *et scriptores alii, quanquam hoc non sufficit, etsi phrases eius duras plane non excusamus. Sane* PHOCIVS, *criticus acerrimus atque perspicacissimus,* EVSEBIVM *grauem esse in historia, affirmat, sed non item in dogmatibus, ut legere licet in ecloga* CXCVI. *Chronicon eius interpolatum est, et re uera non est* EVSEBII, *Historia autem ecclesiastica post Chronicorum libros confecta est, ut colligitur ex historia ecclesiastica.*

V EVSEBIVM *castigatissimum edidit* HENR. VALESIVS, *uir Graece doctissimus, et operi huic sustinendo par, reliquos de Praeparatione et Demonstrat. euangelica libros emisit* VVIGERVS, *uir itidem Graece doctissimus, et egregio labore defunctus. Reliquae omnes editiones his aequandae non sunt, nisi quod Stephani editio accuratissima, et nitore typi dignitatem suam tueatur. Is uero historiam X libris complexus est, quibus addidit* IV *libros, de Vita Constantini M., in quibus aliquando magis panegyricum, quam historicum, reddit.*

VI Post EVSEBIVM *hanc uiam ingressi sunt* SOCRATES, *scholasticus,* THEODORETVS, *Syriae Episcopus,* HERMIAS ZOMENVS, EVAGRIVS *et* THEODORVS ANAGNOSTES, *qui Graece historiam ecclesiae tradiderunt, aut potius ab* EVSEBIO *inceptam prosecuti sunt, et pro captu suo diligenter continuarunt.*

VII Nempe EVSEBIVS CONSTANTINI *tempore scripsit, et aliquantum post eius mortem decessit.* SOCRATES *proxime ab* EVSEBIO, *tempore* THEODOSII, *iunioris, scripsit, et* NOVATIANIS *fauit, sed re uera non fuit* NOVATIANVS. *Eadem aetate et seculo scripsit* SOZOMENVS, *prius tamen* SOCRATES *scribere aggressus, et* SOZOMENVS *adeo multa a* SOCRATE *mutuatus est atque descripsit.* THEODORETVS, *imperante Theodosio, iuniore, et* MARTIANO, *uixit ac floruit,*

A. CCCCLXVI *et* LXVII. *Theodorus, lector, imperante* IVSTINIANO M., *scripsit, ac decessit seculo VI.* EVAGRIVS, *imperante* MAVRITIO, *ab A.* CCCCXXXIX *historiam duxit ad A.* IↃXCVII, *hoc seculo uergente.*

IIX Praeter enumeratos scriptores adducendus etiam RVFFINVS, *Presbyter Aquilegensis, qui* EVSEBII *historiam ex Graeco in Latinum sermonem conuertit, sed minus accurate. Tum uero etiam duos libros nouos historiae Eusebianae adiecit, et ad mortem* THEODOSII *produxit, atque A.* CCCCX *mortalitatem expleuit. Praeter hunc* SVLPITIVS SEVERVS, *eiusdem prope seculi scriptor, duobus libris historiam complexus est, qui meretur legi, tum ob breuitatem, tum ob stylum in primis, cum* GEORGII HORNII, *V. C., notis.*

IX Recentiores historiae ecclesiae scriptores sunt NICEPHORVS CALLISTVS, *scriptor* Φιλόμυθος, *qui a N. C. ad tempora usque Leonis, Imperatoris, historiam,* XXIII *libris comprehensam, concinnauit, ex quibus hodie duntaxat* XIIX *historiam perduxerit ad* LEONEM, *Sapientem, ut ex prooemio historiae constat.* IAC. SIRMONDVS, *Soc. Iesu, omissorum breuiarium librorum subiecit. Scriptor summatim loquendo stylo pulchrior, quam fide firmior, cum pleraque fabulosa in eo contineantur, et caute legi debeant ac distingui.*

X Non hic praetermittendus PHILOSTORGIVS, *sed minime legendus sine commentationibus eruditis* GODOFREDI, *quibus maxime illustratus, et in dignitatem uindicatus, fuit.* PHILASTRIVS *quoque ad regulam* EVSEBII *exigendus. Quanto enim secula magis procedunt, tanto riuuli historiae ueteris sunt turbidiores, quod Graeculi, inde a sec.* IIX, *et Latini a sec.* IX, *testantur.*

XI Adiungendi sunt ANASTASIVS, *Bibliothecarius, qui seculo* IX *uitas Pontificum recensuit, sed in plerisque et mendosus, et, non optima fide, editus.* PETRVS DAMIANI, *cuius non contempnenda sunt opuscula ob quaedam singularia,* IVO CARNVTENSIS, *a* IVRETO *editus, qui historiam iuris Pontificii multis modis exornauit.*

XII Vitae Sanctorum LAVRENTII SVRII *permultum huc conferunt, tum Vitae Patrum Occidentis, quas* BENEDICTVS GONOMVS, *Brugensis, in lucem emisit. Conf. Martyrologium uetus Romanum, idem-*

que BARONIVS, *tum Menaea Graecorum, ex quibus multa et egregia excerpamus licet.*

XIII Superiori demum seculo, quo emendata religio est, MATTH. FLACIVS, *Illyricus, hist. eccles. magnum utilemque operam dedit, accitis in curae laborisque partem* IOANNE VVIGANDO, MATTH. IVDICE, BASIL. FABRO *et* MATTH. CORVINO. *Quo factum est, ut praeclarum illud opus tot centuriarum luci publicae sisteretur, quod a loco, ubi condi primum coepit, nomen tulit, deinde Ienae, Vismariae, continuatum est, ordine quidem iusto et maximopere laudato, cui se opposuit* CAESAR BARONIVS, *Soranus, eique obiiecit Annales ecclesiasticos, magno studio laboreque conscriptos, de quibus uid. eius Praefatio ad lectorem. Constat* XII *Tomis, totidem seculorum historiam continentibus, quanquam Tomi non exacte seculis respondent, et unus aliquando continet duorum seculorum res gestas, aliquando etiam duo Tomi ne unius quidem exacte complectuntur. Hunc uero examinandum sumpsit* ISAACVS CASAVBONVS, *uir Graece doctissimus, et refellendo illi par, omnibusque doctrinae subsidiis ornatus. Post* CASAVBONVM RICHARDVS MONTACVTIVS, *Anglus, sed* CASAVBONO *multum impar, et stylo iudicioque inferior,* RICHARDVS CRAKANTHORPIVS, *conatu maior, quam effectu,* DAVID BLONDELLVS, IOANNES HENRICVS OTTIVS, *Heluicus, in Examine perpetuo, in Germania* TRIBBECHOVIVS. *Pro* BARONIO *scripserunt* HEIBERTVS ROSVVEIDVS, IOANNES CYDONIVS, *qui edidit Defensionem Annal. eccles.* C. BARONII, *Colon. Agripp., 1617.*

XIV Annales BARONII *continuarunt* ABRAAMVS BZOVIVS, ODORICVS RAYNALDVS *et* HENR. SPONDANVS.

XV Baronii Tomos in epitomem redegerunt IOANNES ANDR. BISCIOLA, *Italus,* ABRAAMVS BZOVIVS *et* HENR. SPONDANVS, *Gallus et* SCOGLIVS, *item* LVDOV. AVRELIVS PEROSINVS, ODORICVS RAYNALDVS. *Sane multa in uasto* BARONII *opere non habentur.*

XVI Post BARONIVM *praecipue Galli H. E. studium aggressi sunt, atque inter hos nostra memoria* IAC. SIRMONDVS, EDMVNDVS RICHERIVS, *doctor Sorbonicus, et nouissime* NATALIS ALEXANDER. *Primus eruditus et diligens fuit, nihilque in eo desideramus, quam, quod in* BARONIO IS. CASAVBONVS. *In Latinis enim et medii aeui*

eccle-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0016
DFG

ecclesiasticis monumentis operam posuit insignem, quod eius opuscula et Concilia Galliae testantur, ut de HINCMARO *nihil addam. Alioquin edidit* THEORETVM, *sed sine uariis lectionibus et notis. Alter libere et ingenue de Conciliis commentatus est, et, ut hodie solent theologi Sorbonici, qui libertatem Gallicanae ecclesiae gnauiter defendunt, et Pontificis R. potestatem circumscribunt. Hic multo studio conscripsit H. E. exorsus telam hanc ab A.* LXXIX, *sed idem pleraque ex Reformatis, quae ad criticam ecclesiasticam pertinent, exscripsit,* BARONIVM, SIRMONDVM, *inter Anglos* PEARSONIVM *et* VOSSIVM, *diligenter secutus, et recentiores alios,* LAVNOIVM, COTTELERIVM. *Videtur in partes Ianseniſtarum propendere. De* BELLARMINO *abiecte iudicat,* DIONYSIVM AREOPAGITAM *uindicare studet, sed hic fucus se facile prodit, doctioremque se ostendit* LAVNOIVS, *sed, quod* BARONIO *deerat, idem* ALEXANDRO *nostro non deest.* IOANNES DALLAEVS, *Gallus doctissimus, et sobrie diiudicare solitus, cuius uaria et erudita opuscula extant.*

XVII Praeter hos memorandi sunt, IAC. VSSERIVS, *uir et profundae eruditionis et industriae, laborisque multi, tum* HENR. HAMMONDVS, *doctus et diligens Anglus, sed Hierarchiae Anglicanae nimium deditus. Non omittendus* FRID. SPANHEMIVS, *iunior, cuius extat Introductio et Epitome Isagogica, quam et erudite, et oportune, ut specimen criticae ecclesiasticae, euoluere liceat. Contextus enim historiae aliunde est supplendus.* I. H. HOTTINGERVS, *in hoc studio diligentius, quam accuratius, elaborauit, et uaria non inutiliter collegit, sed in seculo superiori non bona fide egit.*

XIIX Agmen claudant, qui tamen uel inter praecipuos numerandi erant, MARCVS ANTON. DE DOMINIS, *uir summo studio in antiquitate uersatus, qui* BARONII *rationes, in argumento Monarchiae Siculae adductas, egregie et feliciter labefactauit, quem aliquis nuper in Gallia refellere coepit, sed perinepte et ieiune,* HENR. NORIS, *Bibliotb. Vatic. Praefectus, qui in Historia Pelagiana, et aliis sigillatim partibus, luculentam operam nauauit.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0017
DFG

SECTIO I

CAPVT I

DE

CHRISTO SERVATORE NOSTRO

Cum regnum Iudae ad alienigenas delatum esset, tum CHRISTVS, a stirpe regia Iudae oriundus, et a sacris uatibus praenuntiatus, ex Maria, uirgine, et regii pariter generis puella, nasci uoluit, imperante Romanis Augusto, atque regnante Herode M., in Iudaeo Bethlehemi natus est, Prophetarum uaticiniis fidem fecit, ac finiendae Synagogae et constituendae ecclesiae iudicium initiumque dedit. Inspicienda et conferenda sunt scripturae diuinioris oracula, GEN. XLIX, 10, ES. IX, 6, DAN. IX, 24, quibus uaticina de CHRISTI natiuitate comprehensa, temporibusque Augusti et Herodis impleta, sunt, et testatur MATTH. II, 1, seqq. Augustus, eo tempore, solus imperabat, post pugnam Actiacam, uicto Antonio, et subacta Aegypto. Censum generalem atque extraordinarium indicebat, constituto Syriae Praeside, Sentio Saturnio, et extra ordinem illuc misso Cyrenico, ut nulla adeo sit discordia inter LVCAM et IOSEPHVM. Quanquam et diuersa est illa descriptio, cuius meminit IOSEPHVS, quippe quae ad Herodis M. tempora non spectat. Lucae ἡγεμονεύοντα IVSTINVS MARTYR exponit ἐπίτροπον, ut indicio sit, eum nullo modo ordinarium Syriae ac Iudaeae Praesidem, sed extra ordinem, cum Procuratoris titulo, missum fuisse. De Herode idem affirmat IOSEPHVS, eum fuisse Idumaeam, cui suffragantur IVLIVS AFRICANVS, EVSEBIVS, qui Africanum citat et sequitur, H. E. III, 6, EPIPHANIVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS, CYRILLVS ALEXANDRINVS, et Graecae Latinaeque ecclesiae Patres fere omnes. Errant igitur, et LVCAE uim inferunt, qui tradunt, eum genus CHRISTI sacerdotale descripsisse. Lucam firmat PAVLVS, in Epist. ad Hebr. VII. Patres quidem in hoc argumento non satis accurate uersantur, qui Mariae genus sacerdotale uindicant animo non malo, sed eo certo consilio, ut regium simul et sacerdotale munus pariter asserant. At enim uero CHRISTO sacerdotium non fuit commune et Aaronicum,

sed

sed prorsus singulare et Melchisedechicanum. Neque hoc fraudi est, propterea, quod uel Elisabethae pater, uel maiores eius, uxorem ex tribu Iudae duxerunt. Reliqua expediunt partim Theologi, partim Patres, quorum maior numerus facit nobiscum.

II Concepit Maria Seruatorem eo momento, quo dixit Angelus, Concipies in utero filium, LVC. 1, 3, argumentum est particula ἰδοὺ, ecce, quae est nota demonstrantis temporisque praesentis. Post salutationem Angeli hoc accidit, inuenies gratiam apud Deum. Eam excepit sermo nuntiusque de concipiendo, cui statim concipiendi effectus, etsi plerique Patres existimant, finito demum Angeli sermone, Mariam concepisse. Non hic traditiones, aut fabulas, moramur, quae aetatem Mariae ex NICEPHORO CALLISTO repetunt, aut naeuis indulgent, ut plerumque hic facere solet BARONIVS, qui etiam in eo uehementer cespitat, quod Christum, ut hominem, ex utraque tribu genitum, putat.

III Natus est Seruator, CHRISTVS, non die, sed nocte, etsi horam natiuitatis definire non possumus, quod tamen aliqui uolunt curiose nimis, inter quos etiam BARONIVS, qui, ut alibi, ita etiam hic, est scrupulosus. CARDANVS certe temeritatis absolui non potest, cum momentum nascendi inuenisse se, putat. Cur uero aprico die nasci non uoluerit, res expedita est, quod pompam splendoremque seculi auersaretur, et obscura nocte natiuitatem suam et obscura cunabula insigniuerit, ut aeternam damnationis noctem, quae non sine terrore incubuit, dissiparet, et, ut Patres aiunt, hoc exemplo humilitatis elogium nobis commendaret.

IIII Epocha natalis CHRISTI admodum controuersa est, et a Patribus atque doctoribus diu multumque disceptata est. Illud uero non obscuris liquet argumentis, eam incidisse in consulatum Caii Lentuli et Valerii Messalini, in quo consentiunt chronographi doctissimi, EVSEBIVS et CASSIODORVS. Hunc uero indigne carpit NATALIS ALEXANDER. Etiam hic memoratu dignum, quod tradit AMBROSIVS MORALES, inscriptionem ueterem in Hispania repertam, in qua signatur XIII Augusti consulatus, qui proximus erat consulatibus Lentuli et Messalini. Ibidem etiam celebratur Fanum Iani et spatium a Baete ad Oceanum definitur.

V Non

V Non quidem haec quaestio ad religionis fundamentum pertinet, nec diuini Codicis autoritate destituitur, sunt tamen idonea argumenta, quibus et annus, et dies, natiuitatis CHRISTI apte satis et recte comprobatur. Characteres autem probantes sunt trium generum, alii sunt sacri et in scriptura S. traditi, alii ecclesiastici, alii ciuiles, alii profani. Et omnes hi uel generatim, et uage, uel speciatim, et definite, concluduntur. Ac illi quidem extant apud autores diuinitus afflatos, MATTH. II, I, sqq., LVC. II, I, sqq. quippe qui generatim confirmant, quod CHRISTI natiuitas facta sit ante mortem Herodis. Nam CHRISTO nato, Magis alio profectis, infantes necandos curauit, et patrato hoc immani scelere, circa Paschatos sequentis tempus, decessit. Vnde uel hoc colligere licet, annum natiuitatis CHRISTI eum esse assumendum, qui duobus annis a morte Herodis distat. Strictius alii uno tantum anno eum distare putant a funesto Herodis exitu, quem grauiter descripsit IOSEPHVS. Speciatim CHRISTI natiuitatem expressit designauitque LVCAS, III, ubi annum XV Tiberii cum anno aetatis CHRISTI XXX coniungit atque connectit. Quo indicio euincitur, duos sane annos in uulgari et Dionysiana Epocha desiderari, ut hodie annus a N. C. procedat non CIↃIↃCXCIV, sed XCVI.

VI Characteres ecclesiastici summatim comprehensa sunt a CLEMENTE ALEXANDRINO, uiro inter Patres πολυμαθεστάτῳ, quo nemo uel in antiquitate ueteri perquirenda diligentior, uel in hoc tractandi negotio accuratior, fuit. Locus extat Stromatum I, quo tres suppeditat characteres, primum a capta Aegypto, secundum ab annis quadraginta duobus Augusti, tertium, eumque pleniſſimum, a suppositione annorum N. C., usque ad mortem Commodi, Imperatoris. Hoc fundamento recte instituto rationes sunt expeditae, quae offendunt biennii errorem uulgaris Epochae N. C. Conf. EVSEBIVS, qui post CLEMENTEM scripsit, H. E. I, I, ubi dolendum est quaedam omissa esse in DIONIS CASSII Historia, quae ad Consules supra traditos spectant, quibus Synchronismus tradebatur.

VII Patres quidem natalem CHRISTI, annumque eius, et diem, accurate non inuestigarunt, propterea, quod inter funesta uexationum gentilium tempora tam diligenter et sollicite Fastos non ordinarent, neque

neque ordinandi otium esset. Nam quarto demum seculo, finitis persecutionibus, celebrare coeperunt natales, atque id iam indicio est, festum CHRISTI natale non statim cum nascendis ecclesiae incunabilis coepisse.

IIX Illi uero inepti sunt et plane absurdi, qui anticipationem admittunt, et XXII annos solidos praeuertunt, ut MARIANVS SCOTVS et SIGEBERTVS GEMBLACENSIS, eruditi ceteroquin et rerum Germanarum periti scriptores, quibus accedit PAVLVS MIDDELBVRGIVS, quippe qua hypothesi infertur, CHRISTVM iam ante Augusti imperium passum mortuumque esse, quo nihil absurdius et falsius affirmari potest.

IX Quod ad mensem et diem attinet, de illo constat autoritas CHRYSOSTOMI, Patris et doctrina, et sanctitate, uenerandi, Decembris quinto et uicesimo die natum esse Seruatorem, cui assentiuntur Patres Latini, AMBROSIVS ac HIERONYMVS, et ipse AVGVSTINVS, ille Sermone IIX Comment. in Ezech. c. 1, hic uero Psal. CXXXII. Suffragantur Menaea Graecorum, et in primis Tabulae censuales, quas Romae asseruatas testatur TERTVLLIANVS. Contra nos in primis pugnat CIDONIVS CRETENSIS, et testimonio NAZIANZENI, quod extat in eius Sermone in Sancta lumina, nititur, in primis praesidium in particula πάλιν ponit. At enim uero haec potius nota est continuationis, quam appositionis, neque Pater ille CHRYSOSTOMO repugnat, nec huius autoritas temere uellicanda.

X Ex solo etiam Epiphaniorum uocabulo nihil colligitur, siquidem id de insigniori quadam declaratione intelligitur, qualis tempore Magorum accidit, quae die VI Ianuarii recolitur, et solenni ritu celebratur. Quod tamen fraudi non est diei natiuitatis adducto, neque tamen infitior, pleroque Patres ipsum natalem CHRISTI uocabulo Epiphaniorum denotare, quod de EPIPHANIO constat, qui uideatur in Haeresi LI et in Homil. εἰς τὰ ἐπιφάνεια. Graeci autem Patres per se mutuo explicant, quod ex autoritate NAZIANZENI abunde satis liquet.

XI Neque uero natalis huius religio prorsus destituit gentiles, quod monumenta gentilium uaria oppido testantur. Grauis autor est TRANQVILLVS, Augustum uetuisse, se appellari dominum, c. 53, in Imper. Augustum. Idem secutus est Tiberius et nomen domini ad con-

 tumeliam

tumeliam ſuam pertinere exiſtimauit, apud eundem, c. 28. Prouidentia enim coeleſtis haec moderata eſt, ut, quod Imperatores, ratione quadam ciuili, fecerunt, id ſanctitate natalis et ueri terrarum domini penderetur. Mirari hoc ſubiit quoque TERTVLLIANVM in Apologetico, quod Auguſtus, imperii formator, dominum ſe dici uoluiſſet, ut quod Dei cognomen eſt. Illud uero EVSEBIO CAESARIENSI relinquimus, quod VIRGILII IIII ecloga ad natalem hunc quoque utatur, in quo tamen uir grauiſſimus fallitur, quod VIRGILIVS ad felicitatem imperii Auguſti et ſobolem Pollionis, quae in obſidione Solonarum ipſi nata erat, reſpexit, quod et hiſtoria, et argumentum eccleſiae, et conſenſus ſcriptorum Auguſti aeui, confirmauit. Nec tamen dubitat EVSEBIVS, carmen hoc VIRGILII ad natiuitatem CHRISTI referre in Orat. ad Sanctorum coetum, c. 19.

XII Sybillina carmina, quae ab EVSEBIO celebrantur, non modo Moſe, ſed etiam CHRISTO, recentiora ſunt, atque adeo ad praedicandum CHRISTI natalem referri minime omnium poſſunt. Id enim et argumento ſtyli, et rerum, euincimus, quandoquidem nec autor illorum carminum ſecum ipſo conſentit. Libro enim III, ſe Moſe antiquiorem, libro autem IIX ſe prodit Chriſtianum, aut Semi-Chriſtianum, qui partim ritus Iudaicos, partim Chriſtianos, explorauerit. Hinc ISAACVS VOSSIVS a Iudaeis ſuppoſita eſſe, affirmat. Contra alii a Semi-Chriſtiano quodam conficta eſſe, aut a Patribus etiam, et Chriſtianis, dolo quodam bono, emiſſa fuiſſe, ſuſpicantur. Certe enim hic diſtinguenda ſunt carmina antiquiſſimarum gentilium feminarum, quae incenſo Capitolio perierunt. Sed ea carmina Sybillarum, quae Chriſtianis laudantur, multum diuerſa et recentiora ſunt, quarum aetas quoque probabiliter definiri poteſt.

XIII Summatim totum huius rei negotium ex probis decidendum argumentis eſt, et cum ſcripturae diuinioris concordia et conſenſu firmari debet, multi quippe in fabulas incidunt atque ſuperſtitiones. Neque uero ipſe CORNELIVS A LAPIDE, BARONIVS, SCOGLIVS et alii, recte ſemper hanc rem expediunt, ſed in dubia atque ſuppoſita monumenta incidiſſe deprehenduntur. Illi denique omnes perſtringendi ueniunt, qui natalem CHRISTI uel Martio, uel Iunio, aſcribunt. Nam argumento

gumento pastorum et ritu Aegyptiorum nihil obtendi potest. Aegyptii enim contra uniuersae ecclesiae morem nihil probare sustinent. Neque in Palaestina tam acre frigus erat, ut prohiberet, quo minus ouium greges noctu pascerentur. Nam etiam hiberno mense segetes e terra se erigunt sensim et florent, praesertim in temperatioribus et calidioribus regionibus, quod uel Europae exempla testantur.

XIV Ceterum CHRISTVS tres urbes habuit sibi peculiares et quasi proprias, ut recte pronuntiauit CHRYSOSTOMVS, Bethlehemum, ubi natus est, Nazarethum, ubi educatus, Capernaum, ubi habitauit et commoratus est. Natiuitatem natalemque urbem in primis illustrarunt Magi, qui, longinquo itinere suscepto, thesauros pro conditione sua recens nato CHRISTO obtulerunt, arte et scientia astrorum praediti, sed praecipue ex recordatione uaticinii ueteris fama traditi et continuati, ac deinde concionibus Danielis sine dubio explicati, semperque ad posteros seruati, uidentur excitati fuisse stellae, aut potius φαινομένῳ, conspectu ad perquirendum recens natum Regem, quanquam et extraordinarium quid subesse concedamus et fateamur, uim mouentem diuiniorem, quae Magos permouerit ac suscitarit. Indicat hoc uerbum χρηματίζεσθαι, quod arcanam Dei reuelationem satis innuit. Consentit IVSTINVS MARTYR in Dialogo cum Tryphone. Dissentit HIERONYMVS, coniecturae nimis et ingenio indulgens.

XV Profecti sunt Magi ex Oriente, non ex Arabia, ut credidit CAESAR BARONIVS, qui in hoc secutus est IVSTINVM MARTYREM, et testimonia in hanc rem adducit Patrum aliorum, quorum autoritas quidem temere reprehendi non debet, sed hic omnino deserenda est, maxime ob autoritatem diuinam MATTHAEI, omnis exceptionis maioris testis, qui Magos ab Oriente uenisse, affirmat. Arabia enim uersus Meridiem Iudaeae est aduersa. Tum uero MATTHAEVS non dicit, Magos ἀνατολικοὺς, sed ἀπὸ ἀνατολῆς παραγεγονότας, illud latius, hoc strictius, est, et lineam limitemque itineris definiuit.

XVI Neque hic officit Ps. LXXII, 10, qui non de Magis et Magorum itinere, sed de amplitudine incrementoque ecclesiae intelligendus uenit. De cetero faciunt nobiscum BASILIVS, CHRYSOSTOMVS et CYRILLVS. Ille in Serm. de Humana CHRISTI natiuitate, iste in

Homil. VI et VII ad Matth., hic Lib. IV in Esaiam. Neque hic fraudi est Persiae conditio. Nam et in Persia non minus, ac Arabia, thus et reliqua Magorum dona, prouenire solent.

XVII Quales autem fuerint, et quomodo induti processerint, breuiter est explicandum. Sane apud Persas Magi et sacrorum, et sapientiae studia curarunt, quod ex PLATONIS Alcibiade, ex PLINII ac DIOG. LAERTII, testimoniis comprobare licet, ut HERODOTVM, L. VI, PORPHYRIVM, ipsumque TVLLIVM, omittam, qui Magos eo nomine celebrarunt. Neque uero solum Magi studiis addicti fuerunt, sed etiam ab ultima Danielis schola multa procul dubio hauserunt, quae ad Messiae uenturi tempora pertinebant. De cultu habituque addo, uerisimile uideri, eos incessisse tunicatos, ut quidem olim incedebant Persae. Palliati autem quo minus incesserint, multa prohibent, et illud maxime, quod apud Persas pallia in usu non essent.

XIIX Vulgo Reges nominant Magos, quos tamen neque sacer codex, neque antiquitas, Reges nominauit. Nihil tale apud IVSTINVM extat, ut uir quidam clarissimus tradit. Magi enim apud Persas non erant Reges, sed Regum Consiliarii et Doctores, seu Magistri philosophiae et doctrinarum. Inania ergo sunt argumenta SALMERONIS, Magos in Regum solio collocantis, quod ipse agnouit BARONIVS in Apparatu, p. 55. Neque modo non Reges, sed quoque non Toparchas, fuisse, affirmamus. Nusquam enim hac conditione praediti describuntur. SALMERONEM decepit Psalmus supra cit. LXXII, 10, quandoquidem illic non de Magis agitur, nec Magi thesauros regios, sed pro conditione sua attulerunt. Picturae nihil officiunt nobis, quae recentiores sunt, quibus Magi cum coronis delineantur. Cantio ecclesiastica tanto minus obest, quippe quae traditionem ecclesiae Latinae sequiorem praefert. Sequiores enim ecclesiae doctores Regum nomine Magos appellarunt maiore fiducia, quam ueritate. Praeterea neque apparatus, neque aduentus Magorum, regius erat, quod uel ex eo patet, quia Herodes eos non excepit more regio, sed allocutus est et dimisit, ut homines priuatos, id quod ex toto MATTHAEI textu colligitur. Quod autem Herodes opprimere eos uoluerit, non ob conditionem regiam, sed ob nuntium ingratum de nouo Rege, factum est, unde Herodi Iudaeis

daeis inuiso timenda seditio uidebatur. In hanc sententiam docent Patres, et Magos non aliter describunt, quam priuatae conditionis homines, uti nominantur a CLEMENTE ALEXANDRINO, Strom. I, a CHRYSOSTOMO, Homil. VI in Matthaeum, THEODORETO, H.E. IX, 39. Neque BASILIVS M. eos unquam Reges dixit, uerum ἔθνος περισσὸν οἱ Μάγοι, inquit, non βασιλικόν. Tum a gentibus excitatos scribit, Reges non appellat, Homil. XXV, p. 59, edit. Ducaei. Persia hoc tempore a Parthis subacta erat, ut Dynastas, iisdem subiectos, habebat, ut autor est, STRABO, Geograph. XV. Tales autem fuisse Magos nemo probauerit, propterea, quod Magi, si unum Pseudo-Smerdium excipiamus, non Reges, quod Regum consiliarii et philosophi fuerunt. Numerus quoque adeo certus non est, etsi LEO M. et EVTYCHIVS, BEDA VENERABILIS, ZACHAR. CHRYSOPOLITANVS, PETRVS CAMESTOR, IAC. DE VORAGINE, tres definiunt, et id communiter ecclesia Latina retinet ac defendit. Corpora eorum alii Mediolanum, alii Coloniam Vbiorum, translata fuisse, ferunt, sed ridicule satis et obscure id iudicant. Nam in Persiam reuersi memorantur.

XIX Stella, quam secuti sunt Magi, non fuit in coelo sidereo, aut in orbe quodam coelesti, neque extra ordinem condita, ut hodie stellas extraordinarias astronomi uocant, sed in aere nutu uoluntateque Dei formata, atque ad designandum hunc diuiniorem natiuitatis euentum accommodata, quae postea in materiam, unde compacta erat, resoluta est, ac disparuit, uelut iam munere suo perfuncta, cum Magi CHRISTVM inuenissent, donisque allatis coluissent.

XX Quo tempore Magi uenerint, non opus est, nec forte etiam utile, immo, nec possibile quidem, perscrutari. EPIPHANIVS ferme autor est, integro post natalem biennio, uenisse. Sed haec sententia cum rationibus temporum pugnat, et Matthaeus, c. II, testis diuinus ac fallere nescius, iudicat, CHRISTVM paulo ante fuisse natum, cum Magi uenirent. Docet hoc stylus Matthaei, confirmat hoc indoles linguae Graecae, actionem proxime perfectam denotans atque declarans. Accedunt historiae argumenta, et Aoristi Graeci uim apte confirmant.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0025
DFG

XXI Dromedarios adhibuisse nemo facile dicet, et tamen id credit BARONIVS, quandoquidem ad magnum iter, breui temporis spatio conficiendum, aptissimi sunt Dromedarii. Sed ex ingenio haec scribit iudicatque BARONIVS. Insanit autem PARACELSVS, qui equos magicos ipsis tribuit, quos uno die tantum spatii absoluere posse, affirmat, quantum alii uix mense possent. Magi enim non contemptus, sed honoris, causa, ab Euangelista sic appellantur, nec dubitari potest, quin ex una regione uenerint Magi, atque in Iudaeam aduentarint.

XXII Fama huius stellae transiit ad profanos nominatim, quippe huius uestigia extant in Chalcide Platonico, ut adeo non modo inter Hebraeos, sed etiam Graecos, illustris fuerit memoria huius stellae. Graeci autem quaeuis corpora lucida uocant stellas, quod ex Actis Martyrum, PROBI, TARACHI et ANDRONICI, satis constat, ubi λάμπαδοχος ἀστὴρ, corpus lucidum, extraordinarie conspectum, nominatur.

XXIII Magorum honori datus consecratusque Epiphaniorum dies traditur, iudice BARONIO, ut eorum aduentus hoc solenni ritu celebraretur. Sed rectius statuunt, qui affirmant, aliam esse huius rei causam, nempe, ut Dei apparitio in carne, immo, ipsa natiuitas CHRISTI, recoleretur, qua in re suffragatur nobis CHRYSOSTOMVS in Homilia de Baptismo Christi, EVSEBIVS H. E. III, GREGORIVS NAZIANZENVS, Orat. XX, ISIDORVS PELVSIOTA, III, Ep. IIO. Conf. IOSVA ARNDIVS, in Lexico uoc. Epiphaniorum. Ratio huius nominis a uulgata opinione sumpta est, quod Christus VII Ian. die natus esset, ut credidit fere ecclesia Orientalis, quam sententiam Latina ecclesia, iuxta cum Constantinopolitana, improbauit, et, ut supra dictum est, XXV Decembris diem natalem salutifero assignauit. Habuit praeterea alias huius nominis rationes ecclesia Latina, easque communiter quatuor referre solet, quarum prima est, ut baptismatis CHISTI memoria, deinde uini miraculosi, ex aqua a CHRISTO hoc die producti, tertia miraculosa panum multiplicatio, in animum reuocaretur, id quod ex AVGVSTINO et HIERONYMO, Latinis ecclesiae doctoribus, patet. BARONIVS, cum sequioribus ecclesiae doctoribus, quartam addit Magorum aduentum, quam ueluti secundariam, quia nempe uocabulum

ἐπιφα-

ἐπιφανείας uel de primo, uel secundo, CHRISTI aduentu etiam apud antiquissimos Patres accipitur, tolerare facile licet. Conf. CASAVBONVS et BLONDELLVS contra BARONIVM.

XXIV Antequam uero CHRISTVS adoleuit et munus salutare in terris gessit, fugam necesse habuit capessere, atque in Aegyptum transire, ut maneret ibi tantisper, dum Herodis M. saeuitia deferbuisset. Nec prius ex Aegypto CHRISTVS rediit, quam res in Palaestina tranquillior fieret. Hinc uersus Galilaeam iter iniit cura atque opera parentum, admonente etiam per somnium Deo.

XXV Impingit BARONIVS et in chronologia VORSTIVS, qui Archelaum Herodis M. successorem et filium Regem nominant, qui tamen ab Augusto creatus est Ethnarcha, non Rex. IOSEPHVS enim, quem mala fide citat BARONIVS, non aliter commemorat et testatur, Archelaum non potuisse plus ab Augusto impetrarè, quam Ethnarchae titulum, etsi regnum sub conditione ei promisit, si bene se gereret, ac regno dignum se praestaret, quae conditio non impleta est, propterea, quod Augustus ex ratione ciuili Herodis M. testamentum confirmare nollet, et alterum regni semissem sub Ethnarchae titulo assignauerit Archelao, alterum Herodi Antipae et Philippo attribuerit et uindicauerit. Ita Archelaus accepit Iudaeam, Samariam et Idumaeam, Herodes Antipas obtinuit Galilaeam et Peraeam, Philippus Bataneam, Ituraeam et Traconitidem.

XXVI Archelaus turbido ac difficili erat ingenio, atque in saeuitiam prono, et propter crudelitatem Romae delatus apud Augustum, dignitate mulctatus, atque in Galliam relegatus, Viennae consenuit ingloriousque decessit. Vid. IOSEPHVS, Antiquit. XVII, 17, et Belli Iud. II, 7. Hinc explicandus est locus MATTH. II, 22, ubi non βασιλεύς, sed βασιλεύων, dicitur Archelaus, quoniam cum regia potestate fuit, Caesareae tamen obnoxia. Archelai ethnarchia, ob factiones saeuitiasque uarias, turbata erat, ut propterea Seruator, CHRISTVS, non in Iudaeam, ubi praeerat Archelaus, sed in Galilaeam reditum receptumque dirigeret, quandoquidem Nazarethum, ubi Maria facultates suas habuit, et ubi CHRISTVS educatus est, in Galilaea situm, atque hinc Nazareni nomen elogiumque consecutus est CHRISTVS, quod etiam profani religionisque

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0027
DFG

que Christianae hostes non ignorarunt, qui ea de causa Christianos appellarunt Nazarenos. Vid. Epist. Apostatae Iuliani. Ad historiam Herodis sigillatim conferantur NICOL. DAMASCENVS, Herodi M. synchronus, PHILO IVDAEVS, qui Claudii, Imperatoris, tempore uixit, ac denique IOSEPHVS, qui, Vespasiano regnante, res Iudaeorum consignauit, et priores illos saepe citauit ac laudauit.

XXVII Quid causae autem fuerit, ut Seruator in Aegyptum fugeret, non est, cur anxie disquiramus. ORIGINES et alii tradunt, CHRISTO in Aegyptum profecto, idola Aegypti corruisse, quod sane omen initiumque habuit dissoluendorum diaboli operum, quae in Aegypto, uelut idololatriae et magiae sede, dominabantur. SOZOMENI autem narratio de arbore, ad Christi aduentum se incuruante, suspecta et fabulosa est, H. E. v, 20, et libellus de Infantia CHRISTI, Seruatoris, a GELASIO et Synodo Romana reiectus est atque improbatus, et inter apocryphos etiam relatus. Erat alioquin CHRISTO fugienti Arabia uicinior et ad receptum magis idonea uideri poterat, sed Deo ita uisum erat, ut quoque uaticinio, per Hoseam enuntiato, satisfieret, quod extat HOS. XI, 1. LEO M. existimat, hoc modo Deum testari uoluisse, ut gens ista, antiquis et horrendis idolorum cultibus dedita, ad uicinam salutem per occultam gratiam signaretur, Hom. II in Epiphan. Ceteroquin Aegyptii magno odio Hebraeos persequebantur, non modo ob sacra maxime aduersa, sed etiam ob uitae conditionem, propterea, quod Aegyptii pastoritiam simplicemque uitam maxime aspernarentur. Quorsum legendus est HERODOTVS, lib. I, et RVPERTVS TVITIENSIS in Genes. XLVI, 34.

XXIIX Quid Seruator, adolescens, Nazarethi in Galilaea egerit, quas operas exercuerit, non facile expeditum est definire. IVSTINVS MARTYR patris artem factitasse, refert, neque id dubium, quod fabri filius et faber etiam in diuino codice appellatur, MATTH. XIII, 55, MARCI VI, 3. Locus etiam IVSTINI in hanc rem adducendus est, cum quo Patres Latini coniungendi sunt, quorum alii tamen fabrum lignarium, alii ferrarium, interpretantur. ORIGENES contra Celsum, VI, memorat, nusquam in Euangeliis legi, IESVM fuisse fabrum, qui tamen sacro codici obloquitur, non tam malitia, quam memoriae lapsu, cum

cum Patres nimium sibi confiderent, et sphalma μνημονικὸν committerent, subinde autem librarii eorum seu praecipitantia, seu negligentia, peccarent. Vid. IOANNES CROIVS in Obseruationibus suis.

XXIX Aliena et impia est quaestio, quae contumeliae causa ab hoste religionis instituta, quid egerit CHRISTVS in domicilio patris, Iosephi? Nam in statu exinanitionis operas fabriles peregit, et more hominis honestum uictum cum patre suo parauit, quod nondum tempus esset ministerii salutis inchoandi et perficiendi. Hoc enim ab anno XXX solenniter auspicatus est, idque oeconomiae diuinae conueniens fuit, ut existimat IGNATIVS, hoc profundo humilitatis indicio daemones ipsos fuisse confusos, ut, quid statuerent de eo, ignorarent. Illa uero responsio arguta, nec sine omine erat, quod Christianus quidam dixisset, CHRISTVM fabricari loculum, quod probauit euentus, et Iulianum haud multo post belli fortuna euertit, ut tradunt THEODORETVS, III, 23, et SOZOMENVS, VI, 2. Iulianus quippe per contumeliam CHRISTVM dixit Nazarenum et fabri filium, qui hosti exitium maturauit, ecclesiamque uindicauit.

XXX Illud uero ad fabulas et nugas pertinet, quod aliqui existimant, CHRISTVM, infantem, patrasse miracula. Nam neque adolescens talia praestitit, cum tempus officii nondum appropinquasset, ne suspicio artis magicae, aut alia aliqua labes, CHRISTO aspergeretur. Miracula ergo in uirilem eius aetatem reseruata sunt, id quod CHRYSOSTOMVS et HIERONYMVS agnoscunt. Euangelium quippe Iacobi, et scripta apocrypha Euodii et Euthymii, nullam merentur fidem, et prorsus futilia quaedam recensent.

XXXI Summatim caute prudenterque euoluenda sunt ecclesiae monumenta, et autoritate scriptorum, in fabulas procliuium, minime omnium munienda. Primum profecto miraculum CHRISTI in Galilaea declaratum est, quod historia diuinior confirmat, et Canae factum prodit, et egregie adstruit CHRYSOSTOMVS, Homil. XX in Matth., primumque absolute fuisse miraculum grauiter asseuerat. Nam, etsi antiquitas sequior animo non malo quaepiam CHRISTI miracula uindicabat, et silentium atque defectum, ut putabat, historiae ecclesiast. supplere cupiebat, tamen haec curiositas nimia et superuacanea, et re-

 uera

uera uitiosa, erat, cum miracula non confingi, sed animaduerti, debeant, neque ulla necessitas appareat miracula confingendi, tanto minus utilitas exinde redundat.

XXXII Illud uero sigillatim hic edisserendum, quod CHRISTVS, Seruator, anno aetatis XII, puer adhuc, sed non tanquam puer, uerum tanquam doctor perfectus, et propheta, Hierosolymam ingressus, atque in consessu doctorum delatus, inter doctores consederit, etsi nondum inter doctos cooptatus, neque solenni inaugurationis ritu receptus. Fuit enim hoc singulare et extraordinarium scientiae specimen, neque id repugnabat formae serui, ut interdum aliquem diuinitatis radium emitteret ac declararet, quippe certo tempore publicum et solenne docendi munus auspicaturus, maxime, cum a Ioanne baptizatus, et quasi inauguratus, esset. Nam χειροθεσία non pertinebat ad CHRISTVM, quippe qui doctor non communis erat, et a regula adeo uulgarium doctorum excipiebatur. Vid. CHRYSOSTOMVS et THEOPHYLACTVS, et CHRYSOSTOMI Epitomastes ad Luc. II.

XXXIII Baptismum CHRISTVS susceptit, quo tamen non indigebat, sed dispensatio haec erat, ut uerbum adhibet Euangelista, quod non τῆς χρείας, sed τῆς οἰκονομίας, nota est manifesta, nempe CHRISTO, cum in forma serui esset, consilium erat diuinum atque coeleste, ut legem impleret, et aliena peccata in se recepta ostenderet, atque hoc euidenti exemplo testaretur. Quod etiam Ioannes agnouit, atque initio CHRISTVM uetuit, quem peccati expertem esse, sciret. Sed CHRISTVS baptizari omnino uoluit, ut nos commoneret exemplo, peccataque simul expiaret, atque a legis maledicto liberatum se, confirmaret. Hinc baptismus, quo a peccatis repurgamur, et regno CHRISTI inserimur, autoritatem habet diuinam a CHRISTO, et nos obligatione quadam suscipiendi obstrinxit, quod de CHRISTO multo secius erat. Grauiter hoc expositum est a GREGORIO NAZIANZENO in Orat. XXXIX, AMBROSIO, libro III in Lucam, CHRYSOSTOMO. et THEOPHYLACTO in Matthaeum.

XXXIV IOANNES igitur in N. T. primus fuit, qui baptismum peregit, non sua quidem, sed Dei autoritate et iussu, quod ex MATTH. XXI, 25, LVCAE III, 3, VII, 30, satis superque constat. Tantum in eo ba-

baptiſmus IOANNIS diuerſus erat a baptiſmo Apoſtolorum, quod ille ad CHRISTVM uenturum et exhibendum, hic ad exhibitum, dirigebatur. Hinc non fuit neceſſe, ut a IOANNE initiati denuo initiarentur, ſi autem hoc factum eſſet, nihil oberat regula, quoniam ſingulare aliquid occurrit et cernitur, quod ſic in nomen CHRISTI exhibiti fuiſſent baptizati, quo ordinaria regula minime tollitur, ACT. XIX, 4, ſqq. Diſcrimen baptiſmi aquae et ignis facile eluceſcit, neque huc iam ſpectat. Hoc autem documento elicitur, poſſe quempiam baptizare, qui tamen non ſit baptizatus, exemplo IOANNIS, qui in eremo degebat, hinc et potuiſſet ſe ipſum baptizare, cum non ſit neceſſe, ut baptizans et baptizatus ſemper et neceſſario ſint diſtincti, etſi ordinarie et in eccleſia, recte et ordinarie conſtituta, omnino ſint ceteroquin diſtincti.

XXXV CHRISTVS ipſe baptiſmum non peregit et contulit, ſed ad hoc munus diſcipulos adhibuit, quam in ſententiam AVGVSTINVS pie ſapienterque eſt locutus, CHRISTVM non baptizaſſe, ſed Spiritum S. in miniſterio ſeruorum ſuorum dediſſe, hoc eſt, uim et autoritatem coeleſtem ſacro lauacro tribuiſſe. Quare explodenda ſunt ſcripta fabuloſa et pſeudepigrapha Eutymii et Euodii, qui contra hiſtoriam Euangeliſtarum pronuntiant et ſcribunt.

XXXVI Illud uero grauius magisque implicatum eſt, quo aetatis anno Chriſtus baptiſmum ſuſceperit, rituque hoc ſacramento initiationis dignitatem hanc conſtare uoluerit, ut ipſe baptizaretur. Pro anno XXX multa, nec ſpernenda, argumenta afferuntur, ita, ut ille perfectus expletuſque annus intelligatur. Quorſum ſpectat euidens LVCAE oraculum, III, 23, quod neceſſe non eſt exponi de anno Chriſti inchoato, ſed uergente, quandoquidem de ſententia illius, CHRISTVS fuit annorum triginta cum ad ſuſcipiendum baptiſmum ueniret. Qui autem tot annos habet, ut ἐτῶν τριάκοντα dicatur, is omnino ἔτος τριακοστὸν expleuit. Particula ὡσεὶ non eſt ἐλαττωτική, aut dubitans, uel diminuens, ſed affirmans et aſſerens. Quo pacto ὡσεὶ exponitur, MATTH. III, 16, LVCAE III, 22, ubi uerum columbae corpus intelligunt Patres. Τὸ ἀρχόμενος recte hic interpungi debet, ut interpunxit olim ORIGENES, et congruit etiam hiſtoriae ACT. I, 21, 22, X, 37. Graecae linguae in-

 doles

doles noſtrae etiam cauſae ſeruit. Nam definitum eſt incipiens, quod cum indefinito et indubitante non cohaeret, nec coniungi poteſt. Durum enim foret, et menti LVCAE uix conſentiens, quippe qui alibi ſe explicat, ut intelligi poſſit, ſermonem eſſe de initio non aetatis annorum XXX, ſed de principio muneris et miniſterii ſolennis, quod auſpicatus eſt in terris. Suffragantur IGNATIVS in Epiſtola ad Trallianos, CHRYSOSTOMVS, et Concilium Neocaeſarienſe. Ex recentioribus IOSEPHVS SCALIGER, cuius chronologiam ſequimur, ſed ab eo interdum diſcedimus in modo interpretandi, SETHVS CALVISIVS, HELVICVS, LANGIVS, chronologi eruditi et diligentes. Illud enim nobis ſufficit, quod LVCAM ex LVCA explicare poſſimus.

XXXVII Equidem IOS. SCALIGER nihil abſurdi putat admitti, ſi aliquot et pauci dies complendo anno triceſimo CHRISTI defuiſſent, de Emend. Temporum VI. At noſtra poſitio ſimplicior et minus obnoxia dubitationibus, nec ſine cauſa retinenda eſt, maxime cum antiquitate codicum nitatur. Perperam ſentiunt, qui exiſtimant, CHRISTVM anno XXIX eſſe baptizatum, inter quos ſunt CAIETANVS et PETAVIVS, chronologus clariſſimus. Pro anno XXXI militant BARONIVS, et nuper ex noſtris VVICHMANNVS, qui tradunt, anno XXXI CHRISTVM fuiſſe baptizatum. Pro XXXII baptiſmi Seruatoris anno contendunt TIRINVS et DECKERVS, pro XXXIV experiuntur alii, ſed pro XXXIII hodie in primis Sorbonici doctores, in quorum ſententiam deſcendit ALEXANDER ſec. I, Diſſert. II, p. 224, ſq.

XXXIIX Sed enim uero, ut ſimpliciſſima, ſic ueriſſima, eſt ſententia, CHRISTVM XXX annos exegiſſe, hoc eſt, ut in ſcholis loquimur, triginta annorum completorum fuiſſe, cum baptizaretur. Prolixe ſententiam hanc probauit SCALIGER, cum in libro citato, tum in Canonibus Iſagogicis. Verba enim LVCAE perſpicua ſunt, nec uero illud ἦν ἀρχόμενος perperam exponi debet. Nam ἄρχεσθαι ἐτῶν τριάκοντα nuſquam ponitur pro poſſidere ἔτη τριάκοντα. DAN. HEINSII ſententia ſingularis eſt, qui ἀρχόμενος quaſi elliptice dictum eſſe, putat, et in re manifeſta dubitationes implicat magis, quam explicat et reſoluit. Sufficit nobis, quod Seruator baptizatus triginta annos completos egerit, atque eo adeo tempore inauguratus ad ſolenne officium fuerit.

XXXIX

XXXIX Constituto baptismi Seruatoris tempore, reliqua temporum capita, atque in primis numerum Paschatum Christi, facile licebit definire. Pascha autem CHRISTVS celebrauit uno plura, sed quot eorum fuerint nusquam in sacro codice expressum declaratumque fuit. Quo in argumento IOSEPHVS SCALIGER mirifice animum circumagit ac torquet, et argumenta passim circumspicit et quaerit. Cum quo nos libenter facimus, etsi in modo probandi ab ipso discedere necesse habemus, ab illis autem maxime discedimus, qui unum a CHRISTO Pascha celebratum, affirmant, inter quos sunt TERTVLLIANVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, BASILIVS M. et AVGVSTINVS, qui testimonio oraculi Esaiani hanc causam fulciri posse, crediderunt. Cum hoc dicto componunt LVCAE dictum, IV, 19. Sed ibi fit mentio anni unius, quem Patres ad CHRISTI ministerium accommodant, minus tamen accurate, quoniam ESAIAS indefinite loquitur, et annum unum, more loquendi recepto, pro tempore non determinato effert, quo pacto dies horaeque indefinite saepius usurpantur.

XL Vt uero Pascha unum tempus ministerii et praedicationis CHRISTI non exhaurit, sic duo quoque Paschata non sufficiunt, cum plura non colligantur modo, sed etiam expresse ab Euangelistis recenseantur. Nec uero IOANNIS VOSSII sententia hic probari debet, quia, contra argumenta et circumstantias historiae euangelicae, duo tantum Paschata defendit, et propius ad nostram sententiam accedit, quam CLEMENS ELEXANDRINVS, TERTVLLIANVS, BASILIVS M. atque AVGVSTINVS, qui uno tantum Paschate sunt contenti. Vid. VOSSII Dissert. de tempore mortis Christi, ubi expresse hoc docet contra expressum scripturae sacrae testimonium.

XLI Alii contra tria admittunt Paschata, figillatim EPIPHANIVS, quem secutus est HIERONYMVS, uti suffragantur PETAVIVS, chronologus multo doctissimus. Quatuor Paschata assumunt BARONIVS, AVGVSTINVS TORNIELLVS, C. A LAPIDE, BEZA, GROTIVS, NATALIS ALEXANDER, aliique. Quinque demum Paschata asserit IOS. SCALIGER, cui assentiunt CASAVBONVS, HELVICVS, CALVISIVS, LANGIVS, BLONDELLVS, STRAVCHIVS, alii, in quorum sententiam facile discedimus.

XLII Magnus hic dissensus Patrum, et, fatente NATALI ALEXANDRO, nullum in hac quaestione praesidium peti potest a traditione sacra, cum inter pauciſſimos conueniat, quo aetatis anno CHRISTVS sit mortuus. Neque id melius definiuit NATALIS ALEXANDER, H.E. sec. I, P. I, Diss. II. Nihil uero in diligentia Euangelistarum desiderari potest, qui per circumstantias quaedam nobis colligenda reliquerunt, quae ad salutem directe non esse necessaria, iudicarunt.

XLIII Igitur argumenta quaerenda sunt, quae uel ex sacris, uel ex antiquitate, depromuntur. Inter quae illud eminet, et oppido manifestum est, quod arcessitur a tempore Pilati, Praesidis munere fungentis in Iudaea, et Caiphae, Pontificis, qui has dignitates, CHRISTO agonem subeunte, tenuerunt. De Pilato consentiunt TACITVS et IOSEPHVS, ille Annal. XV, 44, scribit, CHRISTVM, Tiberio imperitante, per Procuratorem, Pontium Pilatum, supplicio affectum fuisse. Quo nihil apertius dici potuit ad tempus mortis CHRISTI designandum. IOSEPHVS in Antiquit. Iud. XV, 4, ob rei temporisque concordiam coniungendus est, quandoquidem eius testimonium haud aliena manu additum, praetermitti non debet. Neque eo secius Caiphae pontificatus lucem argumento affert, neque obest, quod Hannas Caiphae adiungatur, cum ἀρχιερεὺς generatim de quouis sacerdote primi et secundi ordinis dicatur.

XLIIII Argumentis igitur utendum est, quae annum definiunt atque determinant, inter quae potissimum est, quod desumitur ab eclipsi inordinaria et solis defectu, qui praeter et contra naturae ordinem sub hoc tempus contigit, quo CHRISTVS supremum Pascha celebrauit. Haec enim eclipsis et inusitata, et miraculi plena, fuit, uel hoc indicio, quod tempore plenilunii accidisset, quo per causas naturae ordinarias nulla potuit fieri eclipsis solaris, quod rationes mathematicae firmiter demonstrant. Quod argumentum et euidentius erit, et efficacius, si asseramus, eclipsin hanc non modo ad Palaestinam et Iudaeam, sed quoque ad uniuersum terrarum orbem, pertinuisse. Historia diuina eam certis finibus non circumscribit, nec tantum in Iudaea contigisse, memorat, sed in toto, quo patet, orbe conspectam fuisse, indicat, ut MATTHAEVS et LVCAS euincunt, ille c. 27, hic c. 23. In hanc sen-

sententiam interpretantur Patres, et solis πάθος κοσμικὸν uocant, et μερικὸν esse, diserte negant. Nec admittendus est consensus exterorum hominum, qui extra Palaestinam uixerunt et scripserunt, inter quos et PHLEGON TRALLIANVS. Hic uero designat annum Olympiadis, ex quo licet colligere annum mortis CHRISTI, si componamus utramque historiam, sacram et profanam. Huc spectat DIONYSII AREOPAGITAE testimonium de horrenda ista et extraordinaria eclipsi proditum. Meminit enim in Epist. ad POLYCARPVM ἐκλείψεως ἡλιακῆς, quo tempore ARIOPAGITA et APOLLOPHANES Heliopoli in Aegypto uersabantur. Hinc TERTVLLIANVS ad tabularia gentilium prouocauit, in Apologetico aduersus gentes, cap. 31. ORIGENES ad Matth. XXVII, ut nulla causa fuerit PORPHYRIO conuitii dicendi scripturae sacrae, quasi in ea saepius pugnantia continerentur. Quorsum uid. HIERONYMVS ad Ps. LXXVII, et AVGVSTINVS de Consensu Euangelistarum, III, 7.

XLV Aliud demum suppetit argumentum, quo haec sententia confirmari potest, idque arcessitur a supremo Paschate, quod CHRISTVS celebrauit, cum esset plenilunium, atque anniuersarium Paschatis sacrum instaret, in quo CHRISTVS sine dubio Pascha hoc quintum et ultimum rite, et legi atque instituto Mosaico conuenienter celebrauit, et die hebdomadis VI ritum peregit, quod erat ipso plenilunio mensis Nisan, in quo ueri Paschatos limites sunt figendi. Non enim ferenda est G. I. VOSSII opinio, Paschatis celebrandi terminum in aequinoctium uernum reiicientis. Etsi enim proximus ab aequinoctio hic dies erat, quo Pascha celebratum est, tamen non incidit in ipsum aequinoctium uernum. Sane CHRISTVS Pascha Iudaeorum anticipabat. Mosaicum enim et legitimum celebrauit, legemque etiam hac in parte impleuit.

XLVI Iudaei quidem non eodem, quo CHRISTVS, die Paschatis diem festum habuerunt, propterea, quod dies Paschatos, a CHRISTO celebratus, nominatur praeparatio Paschatis, et ita describitur, ut praecessisse dicatur Paschatis diem festum, IO. XIX, 14, collato cum IO. XIII, 1, quibus testimoniis probatur, Iudaeos tunc nondum Pascha celebrasse, quippe qui moribus patrum suorum, traditiones sequentium, a die sexto, tanquam termino legitimo, recesserunt. CHRISTVS autem Pascha legitimum non anticipauit, nec quicquam ex lege mutauit. Nec tamen

CHRI-

CHRISTVS Iudaeos correxit, aut reprehendit, neque Iudaei CHRISTVM accusarunt, uerentes tumultum propter Karraeos, qui a reliquis dissentiebant, et, traditionum nulla ratione habita, Paschatis celebrandi iustum legitimumque terminum in plenilunio constituebant. Apud alios atque ab his dissentientes Iudaeos consuetudo ferias transferendi recepta erat, quae perantiquo Gamalielis monumento firmatur. Pharisaei enim non die VI, ut CHRISTVS, sed die VII, Pascha comederunt et celebrarunt. HVGO GROTIVS distinguit inter Pascha θύσιμον et μνυμονευτικὸν, quorum illud sacrificiale, hoc commemoratiuum, dicimus. Prius a CHRISTO negat esse celebratum, alterum uero, idque improprie dictum, CHRISTO ascribit. Sed agnus Paschalis minime omnium erat sacrificium, tum non recte dicitur, CHRISTVM Pascha, improprie dictum, CHRISTO ascribit. Sed agnus Paschalis minime omnium erat sacrificium, tum non recte dicitur, CHRISTVM Pascha, improprie dictum, celebrasse, quia sic tota eius satisfactio non propria, sed abusiua, fieret, et indigne conuelleretur. Illud sane dubitatione caret, diem Paschatis in plenilunium rite incidisse, ut omnino omnes characteres conueniant et conspirent, CHRISTVM die Veneris celebrasse Pascha, non more Iudaeorum, ac centum, et quod excedit, annis traditiones sectantium, quibus iam tum diuinam autoritatem polluebant. Proinde, cum quaeritur, an CHRISTVS Pascha anticipauerit, nec ne? Respondetur, anticipauit, sed Iudaeorum illud traditionarium. Nam illo die legitimo et constituto celebrauit. Agnus ille Paschalis semper erat sacramentum, et nunquam sacrificium, quare GROTIVS in his et similibus rebus caute est legendus. Nam quantum ad antiquitatem omnis generis et criticam attinet, ibi summopere laudandus, sed et in dogmatis minime sequendus. Ille ergo CHRISTVM Pascha improprie celebrasse, dicit, unde affirmandum erit, satisfactionem quoque CHRISTI impropriam esse. Quo certo modo nostrae saluti misere prospectum foret. Nobis uero id est curandum, ne uel ad Socinianismum cum GROTIO, uel ad Papismum cum BARONIO, qui hic similiter uenenum suum sparsit, aut cum aliis, qui ad missam Latinam digitum intendere uidentur, deflectamus. BARONIVS potest excusari, quippe qui Pontificis Rom. monarchiam sacram fulcire studebat et debebat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0036
DFG

bat. GROTIVS uero Socinianiſmum, et, quod ultra uidetur, uelle architectari. Neque id uehementer admirandum. Erat enim in ſcholis Iudaeorum et Socinianorum implicatus, unde licet ueriora non ignoraret, aliquid tamen noui et ante incogniti proferre uolebat, ſiue, ut Graece proloquar, cupiebat νεοτερίζειν, quod dura ipſa uidebatur uſitata theologia. At uero Deus, eiuſque mens, et mandata, ſibi ſemper conſtant, nec mutari poſſunt. Ceterum ſcripſit idem GROTIVS inter alia multa librum de Satiſfactione Chriſti, tum de Religione, in quibus multa latent Arminianiſmi, reliqua, quae ad hiſtoriam, antiquitates, prudentiam politicam, cetera, ſpectant, egregia ſunt et ſummam laudem merentur.

XLVII Poſt BARONIVM GROTIVS nihilo quidem rectius ſtatuit, nec uero BARONIVS recte exiſtimat, Paſcha in ſacrificiis poſitum fuiſſe. Sacrificia enim a Paſchate diſtinguenda ſunt, prout ipſum quidem Paſcha ab holocauſtis et animalibus, ſacrificiorum cauſa mactatis, diſtinguitur, quod BARONIVM minime neſcire oportebat.

XLVIII Vbi et quo in domicilio CHRISTVS Paſcha comederit, incerta eſt opinio et coniectura NICEPHORI, qui domum IOANNIS, Euangeliſtae, commemorat, atque in hac Paſcha paratum et celebratum fuiſſe, arbitratur. Sed iſthaec ſententia directe aduerſatur LVCAE, affirmanti, IOANNEM et PETRVM ad domum conducendam miſſos, alium quempiam de hoſpitio appellaſſe, atque ibi Paſcha cum CHRISTO manducaſſe, ea autem domus non potuit eſſe IOANNIS, quae ad alium dominum pertinebat. Iudice THEOPHYLACTO, ſuperuacanea eſt illa curioſitas, etſi hoſpitium illud uiri probi et fidelis fuiſſe, autumamus, BARONIVM tamen dubitationes non ſoluere, ſed implicare, exiſtimamus. Nec uero idoneis autoritatibus BARONIVS ſe tuetur, qui neſcire non poterat, Paſcha a ſacrificiis ac holocauſtis, et animalibus, quae ſacrificiorum cauſa, mactabantur, perpetuo diſtingui, ut, DEVT. XVI, 2, 2 PARAL. XXX, 5, ubi Latinam interpretationem, fontibus non congruam, ſectatur. Vtroque modo offendit BARONIVS, ubi obloquitur ritibus Veteris Teſtamenti, hic directe repugnat Lucae, et ineptam NICEPHORI coniecturam pro oraculo uendidit, ac, more ſuo, ſuperuacaneae curioſitati indulget. Nec uero melius IOANNEM interpre-

tatur,

tatur, de Paſchate CHRISTI loquentem, quaſi intelligeret diem artificialem Paſchatis, ſeu partem eius poſteriorem, quae nondum tunc adueniſſet, cum CHRISTVS coenam Paſchalem celebraret. Enim uero Paſchatis ſolennitas pertinebat ad ueſperam, atque adeo ad priorem diei partem ſpectabat, quae erat prima nox illius diei, quae prima azymorum nominatur. Ita ſane prorſus conſpirant Euangeliſtae, inter quos MATTHAEVS, MARCVS et LVCAS commemorant primam diem azymorum, in quam CHRISTI Paſcha incidit, hoc a CHRISTO fuiſſe celebratum ante Paſcha ſcil. Iudaeorum, quod erudite explicant SCALIGER et CASAVBONVS.

XLIX Similiter Sabbatum dies magnus dicitur ob concurſum primi diei azymorum, qui erat dies magnus, non uero ob ſecundum diem azymorum, cui hoc magnum elogium non conueniebat, id quod contra BARONIVM circumſpecte eſt obſeruandum, qui coniecturas ab ingenio ducit, et antiquitati ſaepius aduerſatur, non modo in antiquitatibus Iudaeorum, ſed etiam Graecorum et Romanorum, et ipſos interdum hos autores ad ſententiam ſuam trahit ac detorquet. Recte igitur ſunt conſtituendi characteres, ut apprime inter ſe conueniant et antiquitatis ſuffragio nitantur. Quod ſi fiat, res facile ad liquidum perducetur. Eſto ergo dies ſextus hebdomadis, qui in XIV Niſan incidebat, pronum erit, hoc iudicio et CHRISTI aetatem, et Paſcha eius, euincere ac demonſtrare. Nec uero refert, quod primum Chriſti Paſcha ab Euangeliſtis reticeatur. Propterea enim non ſtatim negari debet. Ratio autem ſilentii haec poteſt adduci, quod primi Paſchatis tempore nihil admodum memorabile geſſerit CHRISTVS, quod in literas diuiniores referatur.

L Hoc tempore imperabat Tiberius, Conſules erant Caius Sulpitius Galba et Lucius Cornelius Sulla, Iudaeam procurabat Pilatus, pontificatum gerebat Caiphas, denique eueniebat eclipſis, totamque hanc actionem CHRISTI ſupremam mirifice et praeter naturae ordinem inſigniebat. Quare condonandus eſt error quibuſdam Latinis, geminos Conſules hic deſignantibus, perinde, ac ſi in horum tempora incidiſſet mors CHRISTI, quorſum uid. TERTVLLIANVS, in libro aduerſus Iudaeos, c. 8, LACTANTIVS Inſtit. IV, 10. Nec magni momenti ſunt

Acta

Acta Pilati, in quibus nominatur dies XIIX Martii, apud EPIPHANIVM Haereſi L, ſq. Iſta enim recentiora, et diu poſt aetatem Pilati, conficta ſunt. In die autem LACTANTIVS diſcrepat a TERTVLLIANO, et CHRISTVM dixit ante diem X Calend. Aprilium fuiſſe paſſum. Ad quam ſententiam acceſſit THEOPHILVS CAESARIENSIS, Apoſtolorum aetati proximus ſcriptor.

LI Priuſquam Seruator ultimum maximumque certamen ſubiit ac finiuit, ſanguineum ſudorem emiſit, adeo, ut Angelus ueniret de coelo, et luctantem corroboraret, ut ſigillatim annotauit LVCAS XXII, 44. Nam in habitu corporis, exquiſitiſſime temperati, nullum uitium erat, ſed angor et metus, aliena culpa contractus, moleſque humanae noxae ei incumbens, ſanguinis grumos expreſſit, quae ſummi et inuſitati pauoris ratio et effectus eſſe poteſt, ut meatus corporis aperiat, cutemque rarefaciat, et ſanguinem adeo reſoluat, id tamen praeter naturam exiſtimari debet, quod non guttae, ſed grumi ſanguinis, in terram deciderent, et immenſi doloris pondus, humeris Chriſti impoſitum, declararent. Ineptiunt, qui in dubium uocant hanc LVCAE commemorationem, quae ſtatui ἑνώσεως et affectui humanae naturae Seruatoris non repugnabat. Vid. HILARIVS de Trinitate, X, et poſt eum HIERONYMVS, ut tanto magis uitanda ſit Aphthardocetarum haereſis, qui CHRISTVM ſine uero interiorique ſenſu paſſum fuiſſe, tradebant.

LII Cruci affixus eſt more Romanorum, qui hoc ſupplicium hominibus infimae notae ſeruiſque irrogabant, quod ex ſcriptoribus hiſtoriae Rom. abunde patet, ut loca extant apud PLAVTVM, TRANQVILLVM et alios quam plures. Quot autem claui fuerint, quibus manus pedeſque CHRISTI, Seruatoris, affixi ſunt, Graeci pariter, ac Latini, Patres uariis atque inter ſe diſſentientibus ſententiis tradunt. CYPRIANVS plurimum clauorum meminit, poſt quem tribus deinde ſeculis GREGORIVS TVRONENSIS quatuor clauos memorat de Gloria Martyrum c. 6. Veteres picturae, quae in Graecorum templis conſpiciuntur, pedes CHRISTI diſtincte clauis fixos indicant, adeo, ut ſinguli pedes et ſingulae manus bis perfoſſae fuerint, quam conſuetudinem approbat ſeruus Plautinus in Moſtellaria, Act. II, ſc. I, ubi ſignificat, bis pedes et bis brachia affigi conſueuiſſe. Graeci, atque inter

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0039
DFG

hos GREGORIVS, Theologus, tres clauos fuisse, produnt, CHRISTVM manibus pedibusque commistis suspensum fuisse. De suppedanio quod afferunt, non perinde probant. Iudaei sane, pro summa in Seruatorem crudelitate, nullam ei leuationem tribuere, aut hypopodion supponere, uoluerunt. Interim uid. LIPSIVS de Cruce, et GREGORIVS CALIXTVS ibidem, in notis.

LIII Qua lingua Seruator concionatus fuerit, Syra, an Chaldaea, an Hebraea, an Graeca, contrariis studiis disputant eruditi. Communiter existimant, Syro-Chaldaice locutum, si uulgaris sermo et quotidianus usus respiciantur. In quam sententiam uocabula extant, quae aut plane Syra sunt, aut Syra forma rationeque enuntiantur, ut Mammona, Ephata, Talita-kumi, Abba, cetera, quae hunc ad modum se habent. At in congressu cum Pharisaeis Hebraeorum sermone usus est, cum fontes antiqui foederis perquirendi et reddendi essent, quod accidit eo tempore, quo in templo, uel in Synagoga, munus docendi obibat. Quorsum uideatur BARTHOLOMAEVS MAYERVS et CHRISTIANVS AVIANVS, qui de hoc argumento tradunt. Sunt alii, qui putant, praeualuisse tunc linguam Graecam, eamque in Iudaeae urbibus ac Synagogis etiam personuisse, Syram uero in pagis et rure usitatam fuisse, ubi uile abiectumque uulgus habitauit. Docent MACCABAEORVM libri, NICOL. DAMASCENVS, IOSEPHVS, PHILO, Graecam linguam in Palaestina familiarem ac perfrequentem extitisse. Quae consuetudo deinde ab Alexandri M. aetate in Iudaea facile recepta est, cum Graecorum imperium simul et lingua proferretur. Quam in rem disserunt ISAACVS VOSSIVS, HENR. VALESIVS, uiri doctissimi.

LIV An demum CHRISTVS, cum uersaretur in terris, ullam epistolam scripserit, et sigillatim illam Graecam reliquerit, quae ad Abgarum extat, quaeri multum disceptarique solet. Autoritas EVSEBII magno quidem loco habenda est, qui tradit, eam in Edessae tabulariis ab se fuisse repertam, H. E. 1, 13. Hunc sequuntur EVAGRIVS, EPHRAIM, CEDRENVS, DAMASCENVS. Ex recentioribus BARONIVS, MONTACVTIVS aliique. Sed malim existimare, Epistolam non longe a temporibus Constantini M. esse remotam, quippe quam Patres cordati non approbarunt, nedum ad eam prouocarunt, et Synodi aliquot aperte etiam

iam reiecerunt et pro ſuſpecta habuerunt. Hinc A. CCCCXCIV Synodus Romana, Pontifice Gelaſio, eam improbauit, ut taceam in ea citari ſcripta, quae non uiuo, ſed mortuo, CHRISTO, et poſt in coelos euecto, ſcribi coeperunt.

LV Docuit CHRISTVS et diſſeruit, et in Synagoga etiam legit, quod quodammodo fieri potuerit, ut a praefecto Synagogae non deſignatus legeret, res eſt indaginis altioris. LVCAS ſane omni exceptione maior eſt teſtis, CHRISTVM in Hebraeorum ſcholam intraſſe, et legiſſe uaticinium ES. LXIV, 1, ubi non tam lectionem, quam concionem habuiſſe uidetur CHRISTVS, ut apparet tamen ex uerſibus ſubſequentibus 20 et 22, collatis cum MATTHAEO et MARCO, illo, XIII, hoc, VI. Alii exiſtimant Propheticam lectionem fuiſſe, et propterea ſuffeciſſe, iudicant, ſi duntaxat a Synagogae praefecto approbaretur. Nam, ut ab eo deſignaretur atque uocaretur, non ſemper neceſſarium fuiſſe, ſubtili ratione arbitratur LIGHTFOOTVS, qui tamen nec teſtimonium eius rei profert, et quodammodo a ſe ipſo diſſentit, ut proinde affirmare liceat, CHRISTVM omnia lectionis Propheticae ſolennia retinuiſſe, ſed non ſimul ea literis mandata fuiſſe. Multa enim talia de induſtria ſacri ſcriptores praetermiſerunt. Adhaec uenire uſu potuit, ut ſacerdos ac Leuita abeſſet, quo caſu alius hoc munere perfungi poterat, quin et Sacerdotes ipſi alii, eique inſigni doctori partes muniaque deferre poterant, ut ex monumentis Hebraeorum liquet. Illud certe confitendum eſt, conciones et lectiones Chriſtianorum a concionibus et lectionibus Hebraeorum cepiſſe originem, de quibus uid. IVSTINVS MARTYR in Apologia II ad Antoninum Pium, qui rituum ueteris et ſui aeui maxime fuit peritus.

LVI Nemini CHRISTVS, nec hoſtibus, maledixit, nedum militibus, qui eum crucifixerunt, quippe quorum partes erant, poenas exequi, et ſupplicio afficere reos, Praeſidum ſententia damnatos. Id autem faciebant, more Romanorum, quod ex ſcriptoribus Latinis paullo ante confirmatum eſt, qui huius ſupplicii perſaepe meminerunt. Milites autem haec munia peregiſſe, docent paſſim Acta Martyrum et TERTVLLIANVS de Corona Militis, IOSEPHVS, Antiqu. iudaic., XIX, 1, quin etiam relegatos ad locum exilii deducebant, ut liquet ex EPIPHANIO, Haereſi LXIIX.

LVII Quatuor milites CHRISTVM hoc ſupplicio mulctarunt, id quod IOANNES diſerte innuit, XIX, 23. Quia enim ueſtes CHRISTI in quatuor partes diuiſerunt, intelliguntur, fuiſſe quatuor, ut ſuam quiſque acciperet partem. Non uero eſt, cur in quaternario numero myſterium quaeramus, etſi non improbandae ſunt piae quorundam cogitationes, quae illuc ſpectant, quaſi illo, uelut ſymbolo, eccleſia in quatuor mundi partes diſtribuenda ſignificaretur.

LVIII Nudus pependit in cruce, ac deinde ſanctum eius corpus, permiſſu Pilati inde ablatum eſt, et more Hebraeorum unctum, et ſepulturae traditum fuit. THEOPHYLACTVS cenſet, pecunia et auro redemptum, cui aperte obloquitur MARCI XV, ubi non uenditum, ſed donatum, dicitur, id quod eo minus denegauit Pilatus, quia Ioſephus ab Arimathia, qui tradendum corpus petebat, erat homo amplae conditionis et ſenatoriae dignitatis, cui ex legibus Romanis facile conſtabat, corpora facinoroſorum petentibus ad ſepulturam concedi, non uendi, ſolere, quod a temporibus Caeſaris Auguſti receptum erat, ut eſt apud VLPIANVM in Pandectis, de Cadaueribus punitorum, L. I. Conſentit FABIVS in Declam. VI. Primus huius negotii autor fuit IOSEPHVS, cui poſtea ſuperuenit et aſtitit opitulatuſque eſt NICODEMVS. Hinc illius priores Euangeliſtae tantum meminerunt, huius IOANNES, Paralipomenorum ſcriptorum XIX, 39.

LIX Vaſculum aceto plenum milites habuerunt, non CHRISTI, ſed ſua, cauſa, quandoquidem tenuioris fortunae homines et gregarii milites acetum potui adhibuerunt, ut ex PERSIO et SPARTIANO liquet, illo Sat. IV, hoc in Peſcennino Nigro. Milites CHRISTO acetum praebuerunt, non ut bene cuperent, ſed, ut animum crudelitate exſaturarent, quorſum ſpectat PS. LXIX, 22. Nec uero mirum eſt, arundinem ab hyſopo tantam fuiſſe, ut ſufficeret ad ſpongiam, quae aceto intincta erat, porrigendam. Nam in Palaeſtina creſcit altius, et a ſcriptoribus inter arbores numeratur. Vid. IOSEPHVS, Antiqu. Iud. XIIX, 21. Alii putant, non fuiſſe hyſopi caulem, argumento uocabuli, calamus, quod non ſolum arundinem notet, ſed proprie deſignet frumenti caulem. Atque hic non tam hyſopi caulem, quam ſuccum, intelligi, exiſtimant, ita, ut potus eo fieret ingratior, ſi acetum cum hyſopi amaritudine

ne

ne misceretur, et a IOANNE phrasis MATTHAEI et MARCI suppleretur. Amarum autem esse hysopum, testantur idonei autores, atque inter ipsos etiam Hebraeos plerique. Tum hysopi caulis etiam longissimus non erat cubitalis, neque ad hoc sufficiebat. Spongia ori admota, postquam CHRISTVS biberet, supremam uocem denique edidit, et exclamauit, Consummatum est, quod pie et eleganter describunt Patres, post quos legatur AVGVSTINVS TORNIELLVS, aetate mundi sexta, p. 393.

LX Cum omnia perpessus esset CHRISTVS, exspirauit mortuusque est, hora IX, quae nobis est III post meridiem, qua olim mactari consueuit agnus Paschalis, id est, ab hora IX, usque ad XI. Descendit autem CHRISTVS ad inferos, atque eos confudit praesentia sua, uictoremque adeo se demonstrauit. Tertia die resurrexit, ac deinde post eius resurrectionem ex monumentis prodierunt sancti ueteris Testamenti homines, et fortasse inter eos etiam Adamus, Abraamus, Isaacus, Iacobus, et ueri similiter quidam Noui Foederis, ut quidam de Ioanne Baptista, Zacharia, et aliis, pronuntiant, quidam iterum morituros resurrexisse hos, arbitrantur, inter illos HIERONYMVS, inter hos et AVGVSTINVS. Interim uid. MATTHAEVS, XXVII, 53, et VASTELIVS, Comment. in Ioannem. Mater CHRISTI uirgo mansit, et mortua est, sed non a morte excitata, ut habet Breuiarium Romanum ad XIIX diem Augusti. Nos cum CHRISTO, in coelos ascendente, sanctos intrasse, tanquam comites, stipatores, et apparitores uictoris glorioſi, affirmamus. Hoc enim conuenit instituto historiae sacrae, et congruit menti Euangelistarum, in primis MATTHAEI, hoc denique non pugnat cum regula, quippe quae ob ascensum glorioſum et triumphantem ex specialiori dispensatione diuina patitur exceptionem.

LXI Peractis quadraginta diebus, se conspicuum exhibuit suis discipulis Seruator, iuxta Bethaniam ex monte oliueti ascendit in coelos statumque mutauit, et, finita conditione misera ac mortali, super omnes coelos euectus Dominusque gloriae factus est, secundum eam naturam, qua homo est, iuxta quam passus est, mortuus ac resuscitatus, ad dextram Patris sedet ac summam, una cum Patre suo, potestatem tenet, atque in medio hostium dominatur. Vestigia in hoc loco, ex

quo

quo ascendit, impressa memorat HIERONYMVS, uel quisquis autor est de locis Hebraicis Actorum Apostolorum, sed uidetur fabula.

LXII Apostolis etiam inspectantibus, ascendit in coelos, ut uaticiniis Prophetarum faceret satis, et typo MOSIS ex asse, seu praecipue, responderet, qui, plerisque uidentibus, in montem sublatus est, Exod. XXIV, 9, similiter atque Elias, uno tantum intuente discipulo, in coelos euectus est, 2 Reg. II, 12. Praeterea erat hoc tale, ut ad pios spectaret, quorum gaudium in eo positum erat, ut Redemptoris sui solennem ascensum contemplarentur, impii ne digni quidem erant, ut haec solennia intuerentur.

LXIII Pagani quidem CHRISTVM suggillant, et maximopere mirantur, quod nihil de se ipso scripserit, quae tamen accusatio admodum futilis est, et dudum ab ipsomet AVGVSTINO confutata, sed quoque ipsomet paganorum exemplo confutari ac refelli potest, quoniam sapientissimi Graecorum nihil monumentis tradiderunt. Tum uero CHRISTVS non scripto, sed opere, testari uoluit, se uerum ac promissum esse Messiam mundi, idque reliquit consignandum uiris a Deo afflatis, ut non humana, sed diuina, fide scriberent. CHRISTVS ceteroquin in schola non didicit literas, neque id necesse habuit, quia ex unione personali non scientiam modo, sed etiam omniscientiam, accepit ac possedit, quod praeclare edisserit AVGVSTINVS, Homilia in Ioannem.

LXIIII CHRISTVS autem e terris discessurus, non instituit monarchiam, aut regnum ecclesiae monarchicum, quod probatur uariis modis, partim ex statu exaltationis et sessione ad dextram Dei Patris, quae regimen in primis complectitur, speciatimque ecclesiae, CHRISTI sponsae, praesens est, partim ex oraculis Apostolicis, in quibus CHRISTVS caput nominatur, COLLOSS. I, partim ex praxi Apostolica et usu consuetudineque ueteris ecclesiae, quippe quae non ad Pontifices, sed ad Synodos, in controuersiis atque rebus dubiis sese recipiebat, partim denique hoc ostendit origo et ordo, sedium Patriarchalium, quae sedi Rom. non subiectae erant.

LXV De CHRISTO conf. IGNATIVS in Epistolis, TERTVLLIANVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, CHRYSOSTOMVS, EPIPHANIVS, AVGVSTINVS, BEDA, HAYMO HALBERSTADIENSIS, LVDOLPHVS SAXO,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0044
DFG

SAXO CARTHVSIANVS, qui A. CIↃ CCC XXX uixit, IOANNES MARIANA de Die mortis CHRISTI, IOS. SCALIGER, DIONYSIVS PETAVIVS, BARONIVS, CASAVBONVS, et ante hos etiam PAVLVS BVRGENSIS. De CHRISTI fratribus cum priuignis uid. ORIGENES in Matth. XIII, EVSEBIVS H. E. II, 1, EPIPHANIVS Haereſi XXIIX et XXIX, HILARIVS Canone 1 in Matthaeum, GREGORIVS NYSSENVS, Orat. II de CHRISTI Reſurrectione, AMBROSIVS, in c. 1 ad Galatas, EVTHYMIVS in Matth. XII et XXVII, OECVMENIVS in I CORINTH. IX, 9. Alii fratres conſanguineos et conſobrinos intelligunt cum CHRYSOSTOMO, HIERONYMO et THEODORETO, cum quibus facit HVGO GROTIVS.

CAPVT II
DE
APOSTOLIS ET EVANGELISTIS

APOSTOLI ſignificatione nominis miſſi dicuntur, quo titulo legati ſequiorum temporum appellati ſunt, ut horum ſaepe mentio fit in hiſtoria Francorum et Pontificum Romanorum, ubi occurrunt miſſi Apoſtolici, quorſum uideantur ſcriptores Ducheſniani et Capitularia Francorum.

II Hoc loco deſignat illud uocabulum diſcipulos CHRISTI, per eminentiam dictos, quippe ab eo conſtitutos, ablegatos et miſſos, ut docerent, et myſteria Chriſti diſpenſarent. Fundamentum Apoſtolici muneris cernitur in MARCI III, 14, ſqq., cum quo conf. VI, 17, ibi auſpicium, hic euentus, indicatur.

III Duplex uero eſt Apoſtolorum miſſio, quarum altera biennio ante CHRISTI paſſionem facta eſt, altera poſt eius reſurrectionem accidit, atque ad totum terrarum orbem pertinuit, et hac ratione Apoſtoli nominantur Epiſcopi eccleſiae uniuerſae, quod expreſſit autor Conſtitutionum apoſtolicarum, VI, 13.

IV Munus Apoſtoli requirebat diuinam atque immediatam uocationem, deinde exigebat non auriti, ſed oculati, teſtis dignitatem ac fidem, ne ſolum rumore et fama, ſed ipſo oculorum obtutu, diſpen-

 ſatoris

satoris et Magistri Apostoli niterentur. Hinc omnes res CHRISTI gestas oculis aspexerunt, consignarunt et testati sunt, ut uel hoc argumento eorum doctrina publica et indubitato firma esset. Eodem priuilegio usus est PAVLVS, Apostolus, quippe qui extra ordinem in Collegium XII cooptatus, CHRISTVM a mortuis suscitatum, uidit, atque adeo etiam αὐτόπτης fuit, ut liquet ex historia ACT. APOSTOL. IX, 3, et XXII, 4, GAL. I Sic etiam MATTHIAS, CHRISTO in coelos recepto, in Iudae locum suffectus, et sorte diuina electus est, ACT. I, 23, seqq. Adhaec Apostoli ad omnes terrarum orbis ecclesias missi sunt, qua ex causa ἄρχοντες a Chrysostomo appellantur. Diu ante eum IGNATIVS scripsit in Epist. ad Philadelphenses, Apostolos a finibus usque ad fines laborem praedicandi uerbi suscepisse. Idem diuini codicis autoritate confirmatur, COLL. I, 6, ROM. I, 14. Quae praerogatiua omnibus fuit communis, neque pertinuit ad unum, nedum ad solum PETRVM. Neque enim PETRVS caput fuit Apostolorum, neque Apostoli capita fuerunt ecclesiae, quandoquidem a CHRISTO missi sunt, ut ministri, qui non regerent ecclesiam, sed docerent, nec quicquam sua potestate agerent, nisi beneficio et uirtute eius, a quo delegatam potestatem, eamque in solo ministerio positam, habebant. In quo genere sibi non constat H. GROTIVS, rerum politicarum multo scientissimus, qui Apostolos columnas ecclesiae uocat.

V Ac Apostoli quidem, uiuente CHRISTO, ultra Iudaeam progressi non sunt, et uiua tunc uoce docuerunt, postea autem uerbum Dei praedicatum uoluntate diuina, et afflatu coelesti diuinoque, in literas redegerunt, ut grauiter edisserit IRENAEVS, III, I. Hinc uero non Apostolorum scripta sunt, quae ante resurrectionem Apostolis tribuuntur.

VI Cum Apostoli in terrarum orbem, docendi causa, abirent, non tam sorte, quam Spiritus S. impulsu, in suas quisque regiones discesserunt, quod intelligitur ex HIST. ACT. IIX, 26, XIII, 4, XVI, 7. Scriptores tamen plerique, et inter hos SOCRATES SCHOLASTICVS, aliique, existimant, sorte usos, et in terrarum orbem profectos esse, H. E., I, 15. Nihil uero prohibet, quin Apostoli quoque sortem adhibuerint, saluo tamen Spiritus S. dictamine et iudicio, quippe qui Apostolos

ſtolos adeo monere poterat, ſortemque temperare, et, prout expediebat, dirigere, quamuis potiſſima profectionis cauſa a Spiritus S. uoluntate atque impulſu omnino ſit petenda.

VII Sed qui factum fuerit, ut XII tantum Apoſtoli deligerentur, cauſam ſcrutari non licet, nec probanda eſt curioſitas, quae coniectura ducitur, cuius nullum eſt fundamentum. Non tamen deſunt, qui exiſtiment, in hoc Apoſtolorum numero eſſe quandam ſignificationem, ab altioribus antiqui foederis auſpiciis petendam. Perinde ac ſi XII Apoſtoli ideo conſtituti fuerint, ut XII Patriarchas referrent, aut tot eſſent, quot olim teſtes in Palaeſtinam miſſi erant, aut, ut ad XII lapides reſpicerent, quos Iſraelitae collocarunt, aut, ut ratio huius numeri ad XII ſtellas, de quibus in Apocalypſi mentio fit, dirigeretur. Nos numeri huius iudicium cauſamque relinquimus, immo, in hac mortalitate inueſtigari poſſe, neganus, quoniam id liberae uoluntatis Dei erat, numerum XII conſtituere ac deſignare.

IIX An Apoſtoli ſacro fonte abluti fuerint, multi dubitant, alii negant. Inter hos eſt MARCVS ANTONIVS DE DOMINIS, quippe perſuaſus, nullum Apoſtolorum eſſe baptizatum, et arbitratus eſt, hoc fuiſſe Apoſtolorum priuilegium, ut minime omnium baptizarentur. Sed hoc concedi non debet, etſi etiam definire non poſſumus, qui fuerint illo munere perfuncti. De PETRO quidem affirmant e Latinis doctoribus, eum a CHRISTO ablutum, quorſum ſpectat NICEPHORVS H.E. II, 2, ſed id nullo euidenti H. E. indicio poteſt confirmari. Omnino autem perinde PETRVS, ac alii Apoſtoli, ſuſcepit baptiſmum, etſi, a quo baptizatus eſt, nuſquam legitur. Nam Apoſtolis priuilegium, aut exemtio nulla, ab ordinaria et generali regula eſt conceſſa. Tum mali fuiſſet exempli, ſi Apoſtoli, qui neceſſitatem baptiſmi docebant ac praedicabant, ipſi baptizati non fuiſſent. Hoc magis, quod ipſe CHRISTVS, qui tamen omnis labis expers erat, diſpenſatione quadam baptizari uoluerit. Neque uero baptiſmus flaminis excludebat baptiſmum aquae, propterea, quod plerique alii erant inſtructi ſingularibus atque extraordinariis donis, qui tamen non ſunt baptizati. Suffragatur AVGVSTINVS, dicens, Apoſtolos eſſe baptizatos, et Graeci communiter id tradunt. TERTVLLIANVS quidem dubitat, ſed non ſine cauſa.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0047
DFG

IX Sunt autem Apostolici uiri ab Apostolis distinguendi, ideo, quod isti horum discipuli, comites et legati, non solum a PETRO, sed etiam a PAVLO et aliis Apostolis, ad docendum missi, quorum aliquot in secundum a N. C. seculum peruenerunt, nominatim IGNATIVS et POLYCARPVS. Aliquot horum perfectissima aetate spiritum reddiderunt, et certo testati sunt, quae oculis aspexerunt. Quae sane Dei fuit prouidentia, ut post Apostolos uiri Apostolici supererent, qui testimonio suo omnia comprobarent, quae uidissent. Hinc plerique eorum ad extremam aetatem peruenisse scribuntur, sigillatim SIMEON, Episcopus Hierosolymitanus, qui, CXX annum attigisse, memoratur. De IGNATIO et QVADRATO uid. HIERONYMVS, in libro de S. E. De HERMA pariter, et aliis, constat, maxime eos fuisse longaeuos, idque eo minus mirum uideri debet, quia alibi non dissimilia extant exempla, et sub hoc praecipue tempus, longo Patrum aeuo, necessitati ecclesiae egregie consulebatur, sane prouidentia Dei, ne Apostolorum discipuli deessent, tanquam oculati eorum testes.

X Ceterum multa Apostolorum nomine scripta sunt, quae uel ab Apostolicis uiris, uel a sequiorum temporum scriptoribus, confecta et concinnata, atque adeo Apostolis subiecta et supposita fuerunt. Nam et forma dictionis diuersa prodit fucum, et Conciliorum Patrumque silentium facile indicat fraudem. Quare Constitutiones Apostolorum nomen Apostolorum mentiuntur, et primis seculis ignotae sunt, neque mores ecclesiae ueteres et regulae, ab Apostolicis uiris probatae, canonesque ab ecclesia constituti, Apostolis tribui debent. Nullo enim argumento ad Apostolos, tanquam autores, referri possunt, nec modo non Canonicam, sed quoque non ecclesiasticam, autoritatem habent, talem nempe, qualem Conciliis et Patrum scriptis uindicamus. CLEMENTI quidem Romano ascribuntur, sed Concilia et Patres multis post CLEMENTEM seculis earum non meminerunt, et CLEMENS, Apostolorum discipulus, non tam inania quaedam scripsit, quam istis Constitutionibus continentur. Adhaec EVSEBIVS et HIERONYMVS, cum de CLEMENTE ROMANO agunt, Constitutiones has inter Clementis scripta non referunt, nec trium priorum seculorum Patres usquam eas nominant, et Nicaeni etiam Patres prorsus ignorant, qui sine dubio illa-

illarum autoritate usuri fuissent, si tempore Concilii Nicaeni primi extitissent. PHOTIVS eas adducit, sed argumenta, contra earum autoritatem prolata, non examinat, nedum soluit. Scriptor multis seculis EVSEBIO et HIERONYMO posterior, neque tamen sic ausus autoritatem Apostolicam et diuinam iis uindicare.

XI Nihilo certius Symbolum Apostolicum, quod dicitur, Apostolis acceptum fertur, quippe quod nihil commune habet cum antiquitate aeui Apostolici, et longo atque insigni interuallo ab aetate Apostolorum abest. Nec pauci tamen tradunt, Apostolos, priusquam a se inuicem discederent, atque in terrarum orbem abirent, communem doctrinae Apostolicae tesseram reliquisse, atque hoc Symbolum ecclesiae tradidisse, quod multis solidisque argumentis refellimus, et multos atque eximios suffragatores habemus, LAVRENTIVM VALLAM, IAC. VSSERIVM, G. I. VOSSIVM et complures. Sed eius Symboli nulla mentio est in historia Act. Apostolorum, cum tamen LVCAS id non praetermissurus fuisset, quippe qui alias pleraque res minoris momenti non praetermisit. Neque id commemorant Patres, qui HIERONYMI et AVGVSTINI tempora praecesserunt, neque Patres Nicaeni ad id prouocarunt, quod facturi uidebantur, si ab Apostolis traditum fuisset. Tum uero non idonea, nec Apostolis digna, est causa, quam ob rem, iudice BARONIO, composuerunt Apostoli, ut qui subueniri fuerint, ne suam quisque doctrinam peculiarem ederet et sectaretur. Hoc enim repugnat diuinae prouidentiae et promissioni Spiritus S., propter quam ratio huius metus cessauit. Neque uero Apostolis congruit ista ipsa alternatio capitis, seu articulorum, quae in Symbolo extat, quippe qua admissa, nullus Apostolorum integram doctrinam proposuisset, quod nec decens, nec Apostolorum confessioni conueniens, erat. Neque tandem ibi protinus Symbolum Apostolicum intelligi debet, ubi Symboli mentio fit. Nam etiam hoc nomine in primis Symbolum Nicaenum, uel aliquando Athanasianum, intelligitur, uel tota denique doctrina Christiana eo denotatur. Prisci sane interdum omnes orthodoxas confessiones ita appellarunt, nec quicquam prohibet, quo minus ratione doctrinae et rei comprehendendae Symbolum Apostol. dicatur. Quamuis non omnia fidei capita sufficienter contineat, prout GEORGIVS

GIVS CASSANDER, et nuper quidam eum secuti, persuadere uoluerunt. Non hic se expedire potuit IOANNES FORBESIVS, et largiri possemus aliquid, si uera esset, quae circumfertur CLEMENTIS ROM. Epistola ad Iacobum. Nec fraudi nobis est autoritas Irenaei, quandoquidem ea serie, qua dispositum olim erat Symbolum Apostolicum, hodie non extat, nec omnia eius capita ita sigillatim ac distincte enumerantur. Vid. DREIERVS in Orat. de Syncretismo et uera ecclesiae unitate.

XII Cur Apostoli LXX interpretationem saepe sectati fuerint, huius instituti refert ut exponamus. Vero est simile, Apostolos id fecisse, ut Iudaeis passim Graecissantibus inseruirent, quibus haec interpretatio perfamiliaris, atque etiam in scholis recepta erat. Quam secuti sunt in rebus, extra religionis periculum positis, neque tamen hoc modo diuinam et authenticam autoritatem isti interpretationi conciliare uoluerunt. Sunt autem in ea, etiam iussu SIXTI V recognita, non pauci et errores, et menda, quae in uerbis et phrasibus, et notis, numerisque temporum, remanserunt. Digna quidem lectu est IOANNIS MORINI Praefatio in septuag. Interpretationem, Sixtinae editionis, sed eam de uitiis prorsus purgare non potuit. Speciose quidem hoc agere uoluit ISAACVS VOSSIVS, sed non multo felicius confecit. Laudarunt eam legeruntque antiqui Patres, IRENAEVS, IVSTINVS MARTYR, CLEMENS ALEXANDRINVS, EVSEBIVS, EPIPHANIVS, THEODORETVS, AVGVSTINVS, HIERONYMVS, quorum postremus ingenue dixit et confessus est, LXX saepe ab Hebraeorum fontibus discrepare, in Praefat. ad παραλειπόμενα. An uero in suo quisque secessu operam huic interpretationi nauarit, rursus quaeri solet, quod multi negant, autoritate Aristeae, cuius Epistola ad Philocratem extat, quae, interpretes non seorsim, sed simul, contulisse, atque huic operi insudasse, affirmat. Prisci tamen, et sacri etiam scriptores, et maxime seduli religiosique Patres, singulos in singulis locis et cellulis operam hanc sumpsisse, tradunt, nominatim IVSTINVS MARTYR in Orat. ad gentes, IRENAEVS in libro aduersus haereses, III, p. 25, CLEMENS ALEXANDRINVS Strom. I, EPIPHANIVS, in libro de Ponder. et mensuris, CYRILLVS Catech. III, ac denique EVSEBIVS V, 8, ut de Latinis Patribus,

tribus, TERTVLLIANO, AVGVSTINO, et aliis, nihil dicam, qui omnes in hoc argumento consentiunt atque concordant. Aristeae Epistolam uitia produnt, et argumenta non pauca suppetunt, quae recentiorem et confictam probent. Conf. in hanc sententiam uiri eruditi, et inter eos etiam FRASSENIVS, Gallus, in cap. de septuag. interpret.

XIII Primus Apostolorum, ordinis et aetatis ratione, fuit PETRVS, uelut aetate grandior et collegii Apostolorum senior, qui uero nomine appellatur SIMON, quod ab audiendo tulit, et ab petra cognomen accepit, ut PETRVS diceretur, quod Graecorum consuetudine recte conuenienterque explicari debet. Pariter atque uocabulum Syrum in uirili significatione sumitur, et cum articulo simili et masculino effertur. Tum uero Patres eorumque elogia id gnauiter indicant, nec PETRVM ecclesiae fundamentum, aut principem, temere appellant, quod constat ex TERTVLLIANO, ORIGENE, EPIPHANIO, HIERONYMO, et aliis, qui, si maxime interdum cathedram PETRI celebrant, aut etiam super PETRO constructam esse ecclesiam dicunt, laxius usurpant, non id de fundamento ecclesiae, sed de confessione et concionibus, fundamento huic superstructis, intellectum uolunt. Neque est, cur obtendunt, ecclesiam Romanam hoc nomine semper in occidente cultam, quod esset ecclesia Apostolica, in quantum nempe a PETRO fundata esset. Nam hoc elogio non solum ecclesia Rom. ornatur, sed etiam ecclesia Alexandrina, immo, et Constantinopolitana. Tum haec appellatio non principatum indicat, sed coetum aliquem insignem, Petri doctrina institutum, et CHRISTO, tanquam fundamento, superstructum. Ceterum PETRVS in Galilaea piscationi operam dedit, atque hinc se contulit ad IOANNEM, eiusque concionibus interfuit, atque inter auditores et discipulos relatus, fonte sacro ius ciuitatis Christianae accepit. Postea a CHRISTO accitus, et a piscatu ad disciplinam eius sequendam euocatus est, MATTH. IV, 18, sq., LVC. V, 10, sqq. Demum ad munus Apostoli capessendum inuitatus est, quod primum ante Christi migrationem e terris in Iudaea, deinde, post resuscitationem a mortuis, in toto terrarum orbe suscepit et administrauit, MATTH. X, 12, collato ACT. I, 8. Vixit in matrimonio et uxorem sociam comitemque habuit, ut ex MARCO et PAVLO colligitur, illo I, 29, MATTH. VIII, 14,

14, hoc I CORINTH. IX, 5. Consentiunt Patres, IGNATIVS in Epist. ad Philadel. CLEMENS ALEXANDRINVS Strom. VII, atque inde EVSEBIVS H. E. III, 30. Hinc illud MATTH. XIX, 27, conuenienter exponendum est, non de cessatione dominii et proprietatis rerum, sed de usu lucri quaestusque faciendi, et negotiationibus, cum arte piscatoria in posterum non exercendis, sed diuinioris officii ratione plane intermittendis. Vixit in uico Palaestinae, Bethsaida, ad lacum Genezareth, et, postquam CHRISTO se adiunxit, multa eius miracula uidit, ac multa praeter ceteros priuilegia accepit. Primus inter Apostolos CHRISTO respondit, quia ordine prior et aetate maior erat. Vid. CYRILLVS ALEXANDRINVS in Ioannem, et HIERONYMVS libro I aduersus Iouianum. CHRYSOSTOMVS affirmat, os Apostolorum, et reliquis Apostolis confidentiorem, atque adeo horum Coryphaeum, extitisse in Matth. Magna tamen imbecillitas cum hac PETRI fiducia fuit coniuncta, adeo, ut CHRISTVS eum reprehenderet, atque obiurgaret seuere, et simul admoneret, discederet a se, cessaretque dare consilium malum, quo susceptum aeternae salutis negotium impediretur. Quod non malitiae, sed infirmitatis, PETRI, indicium fuit, MATTH. XVI, 22, sq. Tum graue delictum admisit, CHRISTVM abnegans, quem de facie norat, et familiariter cum eo fuerat, atque eo minus ignorantiam eius obtendere poterat, sed bis tamen et secure, tertia autem uice, cum Christus eum aspiceret, permotus, agnouit lapsum, LVCAE XXII, 61. AMBROSIVS hinc occasionem sumpsit admonendi, ut a iactantia abstineamus, quippe quam plerumque calamitas sequatur. Rediit nihilo minus cum CHRISTO in gratiam, et restitutus est in locum, unde per abnegationis crimen exciderat, et confessione ter repetita delictum, ter admissum, expiauit, IO. XXI, 15. Quare pascendi oues praeceptum hinc explicandum est, quippe quod non monarchiam PETRO assignabat, sed lapsus memoriam reuocabat, atque ad restitutionem PETRI in pristinam muneris dignitatem pertinebat, ut iudicat recte CYRILLVS ALEXANDRINVS in Ioannem. At post CHRISTI ascensionem melior praestantiorque effectus est, nec periculo deterritus, conciones habuit, et CHRISTI ueritatem gloriamque defendit, tum fucum simulationemque Ananiae detexit, et seuera obiurgatione casti-

castigauit, quae reo mortem attulit, nec minus uxori, fraudem mariti dolose aemulanti, exitio fuit, ACT. V, 5. Qualis actus non fuit monarchicus, et a PAVLO etiam exercitus, ACT. XIII, 11. Posthaec Simonem Magum reprehendit, et pecuniae corruptelam, qua dona Dei parari, existimauerat, uehementer coarguit, ACT. IIX, 20. Discrimen ciborum, uitio Iudaismi, seruare uoluit, sed, coelesti responso monitus, intellexit, nihil immundum esse fidelibus, religionemque et disciplinam CHRISTI amplexis edere omnia licere, ACT. X, 15. Hostem expertus est Herodem Agrippam, qui eum in uincula duci, et in custodiam tradi, iussit, sed diuina ope, ad ipsum liberandum misso Angelo, ereptus est periculo. Atque, hoc casu defunctus, uerisimiliter Antiochiam perrexit, ACT. XII, 6. Ea in urbe congressi sunt PETRVS et PAVLVS, et alter ab altero commonitus reprehensusque est, propterea, quod mali exempli erat PETRI institutum, quod eo pertinebat, ut ciborum seruaret discrimen, et hac ratione Iudaeorum gratiam captaret. Hinc PAVLVS, grauiter in eum inuectus, docuit atque inculcauit, legem illam Mosaicam dudum esse sublatam et iam sepultam, quae ciborum discrimen delectumque sanciret, ad GAL. II, 14. Pauli reprehensione patienter audita, aliquamdiu Antiochiae substitit, liberatus periculo, quod per insidias Herodis Agrippae ei imminebat. Nam eo tempore e uita migrauit Agrippa, haud dubie consilio prouidentiaque Dei, PETRI labore atque doctrina adhuc amplius uti uolentis. Inde Hierosolymam rursus se contulit, atque, ut errorem corrigeret, culpamque emendaret, Concilio illic habito interfuit, atque in eo non sua tantum autoritate, sed senatus consulto, omnium controuersiam decidit, ac rite aequaliterque cum aliis Apostolis et collegis partes suas Synodicas peregit, ut uel hoc iudicio iam omnibus liqueret, nihil inter Iudaeos et gentes interesse, ceremoniasque de rescindendo praeputio et distinguendis cibis sublatas esse, omnia CHRISTVM sequentibus libera relinqui, et nullam adeo ritus Mosaici necessitatem imponi, ACT. XV, 16, sqq., quod accidit post decessum Tiberii et Caligulae, Claudio tunc imperante, cuius eo tempore octauus fere imperii annus agebatur. Romam uenisse, testatur EVSEBIVS, H. E. II, 14, cui suffragantur scriptores in occidente plerique graues, et Patres in occi-

dente fere omnes, quotquot post sec. II scripserunt. Dissentiunt autem in tempore aduentus, alii Claudio, alii Nerone, imperante, Romam perrexisse, affirmant. Aliqui et duplex certamen cum Simone Mago eum iniisse, tradunt. Sed pro certo haberi debet, PETRVM neque Tiberio, neque Claudio, imperante, fuisse ac docuisse Romae. Adhaec gentibus etiam erudiendis non dedisse operam, sed in primis apud Iudaeos substitisse, et circumcisionis Apostolum ante alios extitisse, nec tamen gentium causam penitus neglexisse, praeterea Antiochenam ecclesiam condidisse, eaque condita atque fundata, Romanam demum coepisse, atque Hierosolymitana et Antiochena recentiorem esse. Si ergo Romam uenit ante principatum Neronis, id fieri non potuit, quod nouissime agnoscit STEPHANVS BALVZIVS, et ipse certe EVSBIVS sibi non constat, cum Petri aduentum ad annum secundum Claudii, Imperatoris, refert, quem tamen BARONIVS sequitur ac defendit. Hanc uero sententiam historia Act. Apostol. refellit, quae testatur, PETRVM mansisse in Palaestina usque ad postremum Agrippae, Regis, annum, quippe qui PETRVM in custodiam tradidit, nec multo post est extinctus. Agrippa autem, regnante Claudio, iam in quartum usque annum decessit e uita, et ita PETRVS non anno Claudii secundo, sed quarto, aut quinto ineunte, potuit Romam uenire, id quod etiam agnoscit VALESIVS in Eusebii Hist. II, 16. Quare cum rationibus temporum pugnat ista sententia, quae uiginti quinque annis eum Romae fuisse, contendit. Neque hic fides magna est Chronici Eusebiani, quippe quod ab EVSEBIO ne confectum quidem est. Aliter enim sentit EVSEBIVS H.E. III, 1, nec dissentit LACTANTIVS in libro de Mortibus persecutorum. Alioquin magni opinionum conflictus sunt de PETRI itinere, Romam instituto. Diuinior historia, quae Actibus Apostolicis continetur, ab autoritate Patrum occidentalium immane quantum recedit, neque ex ea facile colligitur, quod uulgo tradi solet de PETRO. Illud omnes aiunt, Simonem Magum Romae diuina uirtute a PETRO superatum. Scripsit duas Epistolas, et MARCO dictasse, asseritur Euangelium, quanquam Marcum diuina autoritate scripsisse, nemo debet dubitare. Eundem MARCVM uocat filium, id est, spiritualem. Praeterea in I Epistola,

V, 13,

v, 13, Babylonem designat, quam Romam interpretatur EVSEBIVS, H. E. II, 15, sensu tropologico et figurato. Sed immo, character PETRI est eiusmodi, ut plane uideatur a tropologico seiungendus. Vltimum martyrium subiit PETRVS A. XIIII Neronis. Traditio Patrum orientalium non est contra analogiam historiae Act. Vid. M. A. DE DOMINIS et CLAVDIVS SALMASIVS.

XIIII ANDREAS, PETRI frater, natus est Bethsaidae, uico Galilaeae, et piscatoriam fecit, perinde, ac PETRVS. Videtur eo natu minor, si BEDAE VENERABILIS iudicio standum est, quod uerisimile est, ideo, quod PETRVS antiquitatis uniuersae suffragio creditur fuisse natu maior, et senior etiam in collegio Apostolorum. EPIPHANIVS tamen existimauit, ANDREAM fuisse natu maiorem PETRO, in haeresi LV. Vtrum coelebs manserit, pariter incertum est. BARONIVS, autoritate SOPHRONII, affirmat, extra coniugium uixisse, cuius fidem aliqui suspectam habent, quam temere labefactare non ausim. Fuit certe IOANNIS discipulus, et fratrem, PETRVM, adduxit ad CHRISTVM, IO. I, 40, sqq. Hinc in Apostolorum ordinem receptus, primum in Iudaea, deinde in Asia septentrionali, uerbum Dei promulgauit, MATTH. X, 2, ACT. I, 13. Conf. HIERONYMVS in Catal. S.E. Etiam docuisse in Thracia, colligunt indicio cadaueris ipsius Andraeae, Constantinopolin transportati, quae ratio non est sufficiens, et narratione dubia continetur. Acta Andreae edita sunt a LAVR. SVRIO, quae a BELLARMINO commendantur. Sed mentiuntur hunc Apostolum, et multo recentiora sunt, et denique Missae Latinorum, longe post repertae, patrocinantur. Iam pridem haec discussa et falsi conuicta sunt a ROBERTO COCO et ANDR. RIVETO. EVSEBIVS EMISSENVS ANDREAM inter Apostolorum principes numerauit. Confectis doctrinae salutaris causa itineribus, a Praefecto Edessenorum in crucem actus, uel, ut alii ferunt, ex oliuae arbore suspensus, est, ut legere licet apud HIERONYMVM et SOPHRONIVM. Conf. Martyrologium Rom., quod BARONIVS, in 4, edidit. THEOPHANES memorat, tempore Iustiniani factam esse depositionem exuuiarum ANDREAE, Chronographiae p. 192, sub tit. κατάθεσις τῶν ἁγίων λειψάνων ἀνδρέου. Diuersus est ANDREAS CIRCVLATOR, de quo uid.

THEOPHANES, Chronograph. p. 189, a quo haud dubie desumpta est superstitio, sub noctem ANDREAE exerceri solita, quae cum religione ANDREAE, Apostoli, nihil habet commune. Ecclesia ceteroquin Latina ei sacrum facit, et in primis ob translationis memoriam diem festum ipsi dicat, ac quotannis recolit. Vid. Martyrolog. Rom. et SCOGLIVS, BARONII Epitomastes ad A. C. CCCCXLIIII.

XV IACOBVS MAIOR, Zebedaei filius, et IOANNIS frater, patria Galilaeus, conditione uitae piscator, elogio appellatus est Βοανεργὴς, quod filium tonitru sonat. Post PETRVM et ANDREAM accitus est ad CHRISTI disciplinam, MATTH. IV, 21, ad munus Apostoli euocatus est, postea et Iudaeam atque orbem terrarum doctrina imbuendum sortitus est, MATTH. X, 2, et LVC. VI, 14. In Hispaniam non uenit, ut uulgo putant, ac defendit BARONIVS, neque corpus eius Compostellae est sepultum. Nullum enim IACOBI iter, quod is quidem in Hispaniam suscepit, uel sacro, uel profano, quopiam idoneo monumento confirmatur. Ipsi scriptores Hispanici ueteres hoc prorsus ignorant, et inter hos RODERICVS TOLETANVS, scriptor praeclarus, adeo, ut ipse BARONIVS de ueritate rei coeperit dubitare. Galli hoc tanto magis impugnant, quia primogeniti ecclesiae esse uolunt. Posito autem Iacobi itinere in Hispaniam, Galli id certe sibi sumere non possunt, ut primogenitos ecclesiae se glorientur. Nobis probabilior sententia est, et certioribus nixa testimoniis, quae, PAVLVM Hispanias obiisse, uerbumque Dei ibi promulgasse, tradit. Nam autoritas ISIDORI, quae ab Hispanis plerisque affertur, diuersi est, et stylo iudicioque discrepantis scriptoris. Falsus hic ISIDORVS coargui debet, et conuinci autoritate RODER. TOLETANI, Archiepiscopi, qui palam et aperte IACOBI in Hispanias aduentum negauit, autor originum rerumque Hispanicarum peritissimus, ut nihil in praesens de testimoniis Patrum dicam, quae istum honorem PAVLO deferunt, inter quae illustriora sunt ATHANASII, cuius extat Epistola ad Draconitium. Vid. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS Catechesi XIII, CHRYSOSTOMVS, Hom. LXXVI in Matth., EPIPHANIVS, Haeresi XXVII, THEODORETVS ad Phil. I. Suffragantur Latini Patres, atque inter hos HIERONYMVS ad cap. V Amosi, AMBROSIVS ad Rom. XV, inter Romanos Prae-

Praesules, Gregorius M. Congruit analogiae historiae diuinioris, quia IACOBVS primus omnium inter Apostolos supplicio affectus, et ab Herode Antipa gladio percussus, est, tempore nondum constituto migrationis Apostolorum. Id enim conuenit inter temporum peritos, et probatur a Patribus Graecis et Latinis, ACT. XII, 2. Sane Paulus Italiam, Dalmatiam, Galliam, Hispaniam, et forte simul Britanniam, itinere suo emensus est, atque Illyricum peragrauit, et hos adeo populos ad coelestem doctrinam erudiuit. Traditiones, quas Pontificii praeferunt, nihil moramur, et ipse demum IOANNES MARIANA, acerrimus alioquin huius opinionis propugnator, dissimulare non potest, IACOBI fructum labori eius non respondisse, atque adeo, conscientiae ueritate uictus, fatetur, nullam eius praedicationis habitam fuisse rationem. Tum uero Pontifex Rom. in causa litis, de praerogatiua inter Archiepiscopos, Toletanum et Compostellanum, exortae, pronuntiauit in Toletani fauorem, atque ea de causa non agnouit Compostellani praetensam, ex capite IACOBI, dignitatem. Fuit autem is IONOCENTIVS III, quod Hispani negare non possunt. Neque id nobis aduersatur, quod IOANNES FERDINANDVS VELASCVS causam hanc tuendam susceperit, et praeter eum IO. MARIANA, ille tamen ex instituto, editis etiam aduersus BARONIVM uindiciis, quippe qui contrarium quoque tandem, ueritate coactus, asseruit, et IACOBI aduentum in Hispaniam directo quoque negauit. Illud tandem mirari subit, quae causa sit, quam ob rem Hispani aduentu Iacobi gloriari cupiant, ex quo tamen ad eos nihil praecipui redundat, neque uero capere possum, quo fundamento nitantur Hispani, et unde ipsis constet de aduentu et praedicatione IACOBI, qua in re ualde se implicant, et ex prioribus sex seculis nullum grauem idoneumque scriptorem citare possunt. De fabulis, aut aliis historia indignis, agere hic, aut refellere, nimis longum foret, quasi IACOBVS sine naui et uelo, sola Angelorum ope, in Hispaniam nauigasset, ut de aliis taceam, quae ad reliquiarum IACOBI translationem spectant, quae uaria ac subtesta fide referuntur. Et tamen VELASCVS ita sibi in opinione sua conficta indulsit, ut Regi Hispaniae, Philippo, persuadere cuperet, BARONIVM, uel hanc ob causam, inter prohibitos scriptores esse rese-

referendum. Ad ultimum traditio Thraſeae nobis obuerti ſolet, quam literis mandauerit EVSEBIVS, V, 15. Verum haec traditio incerta eſt, quandoquidem aliqui Apoſtoli ſolis Iudaeis uerbum Dei annuntiarunt, quod ex hiſtoria ACT. APOSTOL. XI, 9, liquet.

XVI IOANNES, Zebedaei filius, idemque Iacobi frater, et antehac uitae muneriſque inſtituto piſcator, et CHRISTI diſcipulus, a CHRISTO poſtea ad ſuſcipiendas Apoſtoli partes euocatus eſt, atque ob inſignem efficacemque doctrinam, cum euidenti et admiranda myſteriorum expoſitione coniunctam, Βοανεργὴς, ſiue tonitru filius, nominatus eſt, et CHRISTO maxime carus, in ſinu eius, quod nulli Apoſtolo contigit, requieuit. Vid. MATTH. IIII, 21, IO. XXI, 28, MATTH. X, 2, ſq. Nihil tamen impedit, quo minus praeco gratiae dicatur, quandoquidem et nominis ratione, et muneris cauſa, id recte dicitur, propterea, quod praeco fuit gratiae ſalutaris, et praeterea ob doctrinae efficaciam atque eminentiam dictus eſt tonitru filius. Vid. ORIGENES in Matth., CHRYSOSTOMVS, CYRILLVS ALEXANDRINVS in Ioannem, GREGORIVS NAZIANZENVS, HIERONYMVS aduerſus Iouianum, I. Singulari elogio appellatus eſt aquila, quoniam ſublime de CHRISTO myſterium luculentiſſime aperuit, in quam ſententiam ſcribit AVGVSTINVS, IOANNEM, non ſolum ſuper terram, ſed etiam ſuper omnes exercitus Angelorum, euectum, peruenisſe ad eum, qui omnia condidit et produxit. Quae interpretatio reſpicit uiſionem EZECH. I, 10, APOCAL. IIII, 7. Dicitur etiam columna eccleſiae encomio diuino, ad Gal. II, 9. Fuit CHRISTI conſanguineus, et tam impenſe dilectus, ut exiſtimet HIERONYMVS, eum PETRO maiorem fuiſſe futurumque, ſi profectiori aetate fuiſſet. Illud inter commenta referri oportet, quod a conatu et a propoſito matrimonii per CHRISTVM retractus fuerit, quod uulgo tradunt, ut matrimonium Apoſtolis denegent, idque CHRISTO diſplicuiſſe, euincant. Hanc fabulam quidam ſequiores ſcriptores, nominatim RVPERTVS TVITIENSIS, referunt. Aliqui eo progrediuntur, ut putent, ſponſum fuiſſe, cum nuptiae in oppido Galilaeae peragerentur. Hoc autem in primis memoratu dignum eſt, quod IOANNES menſuram muneris impleuerit, et primo partes ſuas egerit, ut Propheta. Talem enim in diuino et abſtruſo

reue-

reuelationis libro, qui Apocalypsis inscribitur, se praebet. Deinde praeconem Euangelii se exhibuit, ut Euangelista. Postremo doctorem gentium se ostendit, atque hoc modo ut Apostolus consideratur. Nón enim IOANNES tantum Ephesi docuit, sed iure muneris Apostolici Asiam quoque peragrauit. Ad extremum IOANNES, Romae in dolium, feruenti oleo repletum, iniectus, Dei beneficio saluus exiit, atque hinc in Pathmum maris Aegaei, seu Albi insulam, se contulit, et ibidem Euangelium scripsit, cum Domitianus rerum potiretur. Vid. APOC. I, 9, et IRENAEVS V, qui, ad finem Domitiani imperii Apocalypsin scriptam esse, affirmat. Rectius existimant, qui, imperante Nerua, id factum iudicant, propterea, quod omnes religionis causa exules in libertatem restituit, atque adeo una cum istis IOANNEM ab exilio reduxit, ut tradit CLEMENS ALEXANDRINVS, EVSEBIVS H. E. III, 23. IOANNES tandem Ephesi decessit, et ultimum ecclesiae monumentum reliquit, Apocalypsin, quod, contra ueteris ecclesiae consensum, BARONIVS negauit.

XVII PHILIPPVS, origine et patria Bethsaidensis, PETRI et ANDREAE popularis, uitae genere piscator, a PHILIPPO, Diacono, diuersus, primo CHRISTI discipulus, deinde Apostolis ascriptus, atque ad docendum missus, IO. I, 43, sq., et MATTH. X, 3. EVSEBIVS PHILIPPVM, Apostolum, et PHILIPPVM, Euangelistam, pro uno eodemque habet, adducto in sententiam POLYCRATE, cuius Epistolam citat H. E. III. 31. Mea sententia ex historia Act. Apostol., ac sigillatim ex VI, 2, 3, 5, euinci potest, alterum ab altero fuisse distinctum. Quorsum conf. ipse EVSEBIVS H. E. IX, 24, in primis facit mecum ISIDORVS PELVSIOTA, I, Epist. 447, sq. Adhaec Apostolus extra connubium uixit, ut HIERONYMVS tradit. Diacono filiae in hist. Act. Apost. tribuuntur. Docuit Apostolus in Asia, nominatim peruenit in Phrygiam. Quorsum uid. EVSEBIVS III, 31, et Hieronymus in Catal. S E. III, 31. Martyrium subiit, sed genus supplicii non definitur, nisi, quod Eusebius Hierapoli crucifixum tradit. Vid. etiam NICEPHORVS H. E. II, 39. Recentiores, et nominatim IOANNES NAVCLERVS, sub Tito mortuum esse, tradunt, quod cum temporum rationibus pugnat. EVSEBIVS, autor illis temporibus propior et certior, et fide

fide dignior, anno Claudii XII mortem eius insigniuit, cum nota martyrii illustratam. Hierapoli, Phrygiae urbe, martyrium subiisse, affirmat in Chronico EVSEBIVS, quem alii sequuntur. Vid. BARONIVS ad A. C. LIIII, SCOGLIVS, ibid. Hinc cineres eius Romam translatos, ferunt.

XIIX BARTHOLOMAEVS, nomine apud Syros recepto, appellatus est significatione haurientis aquas, ut facere solent hortorum cultores, quos Graeci κηποκόμους uocant. Absurda est sententia aliquorum, Regis Syriae, Ptolomaei, filium extitisse, putantium, inter quos est PETRVS de NATALIBVS, scriptor iudicii haud castigatioris. Eius mentio fit in sacro Codice MATTH. X, 3, et LVCAE VI, 4. Quo modo, qua occasione, et quibus circumstantiis, ad munus Apostolicum euocatus sit, nusquam expressum est in Codice sacro, colligitur tamen, antiquitatis consensu, eum apud Indos citeriores uerbum Dei promulgasse. Vid. EVSEBIVS H.E. V, 10. Martyrium extremo subiit. NICEPHORVS cruci affixum tradit, alii uiuum excoriatum esse, affirmant. HIERONYMVS et DOROTHEVS in Albania superiori sepultum esse, scriptum reliquerunt. Alii ut in India occisum, sic ab Indis corpus eius in mare proiectum, narrant. Inde a uentis in Liparam insulam et usque ab extrema India eo delatum, tradunt. Veriori coniectura sepulchrum eius in India quaerendum, ubi martyris honorem reportauit.

XIX MATTHAEVS, Alphaei filius, uitae instituto publicanus, unde et nomen publicani tulit, MATTH. X, 3. Hinc intelligitur, deceptum esse TERTVLLIANVM, qui opinatus est, neminem apud Iudaeos publicani munere fuisse functum, cui opponimus MATTHAEVM et THADDAEVM. Ille enim sedit ad telonium, ut MARCVS et LVCAS tradunt, quae descriptio est publicani, et publicanus diserte nominatur, in adducto MATTHAEI loco, quod propter HIERONYMVM obseruamus. Huius mentio fit LVCAE XIX, 2, 9. Neque officit DEVT. XXXIII, ubi riuuli non bene et pure ex fontibus manant. Ille ipse uero Apostolus maxime Hebraeos docuit, ac deinde sortito munus accepit erudiendi Aethiopes, quod tradunt scriptores communiter, atque inter hos EVSEBIVS H.E. III, 24, SOCRATES H.E. I, 15.

Idem

Idem Apostoli pariter, et Euangelistae, munere perfunctus est, et CHRISTVM atque publicanos ad idem conuiuium inuitauit, ut iuxta cum ipso salutis, per CHRISTVM partae, socii atque consortes redderentur. Qua lingua Euangelium scripserit, Hebraea, an Graeca, contrariis utrinque studiis disputatur. PAPIAS apud Eusebium tradit, Hebraice perscriptum, III, 39, et V, 8. Assentiuntur plerique Patres, ORIGENES et ante hunc IRENAEVS, adducto loco, hic VI, 25, HIERONYMVS in Catal. S.E., AVGVSTINVS de Consensu Euangelistarum, I, 2. Accedunt huic sententiae BARONIVS, SCOGLIVS, BELLARMINVS, aliique. SEBAST. MVNSTERVS et IOANNES MERCERVS Hebraicis literis scriptum ediderunt. Verum omnia illa testimonia, quamuis non de nihilo putanda sint, tamen nullum pondus habent. Patres enim non suo, et idoneis argumentis elimato iudicio, sed unica PAPIAE narratione nituntur. PAPIAS autem scriptor fuit ingenio non admodum acri et perspicaci, sed nimio allegoriarum studio saepe in errorem inductus. Caute igitur EVSEBIVS agit, et nihil pro Euangelio Matthaei, Hebraice scripto, decidit ac dicit, sed immo potius hanc narrationem deserit, et pro suspecta habere uidetur, quando ingenium PAPIAE mediocre, et opinione erroris millenariorum deceptum, liberali iudicio agnoscit et confitetur, H.E. III, 9.

XX THOMAS, alio nomine dictus est DIDYMVS, quod gemellum sonat IO. XX, 24, IVDAS etiam, si uera est narratio EVSEBII, H.E. I, 13. Patriam consentientibus suffragiis ei uindicant Bethsaidam, unde ad capiendum discipuli munus, ac deinde ad sustinendas Apostoli partes euocatus est, LVCAE VI, 3. Docuit et eruditiuit gentes, superstitione imbutas, in primis in Asia, ad Dei cultum informanda, operam studiumque posuit, et sigillatim Parthos, Medos, Persas, Hircanos, quin et Scythas, quos nunc Tartaros uocant, et Indos etiam ex parte adiit, immo, ad ipsos Germanos commigrauit, si uera memorant annales. Hoc usu et sermone doctorum comprobatur, eum fuisse Germanorum Apostolum, non omnium quidem, sed eorum, qui Istri ripam attingebant, atque adeo in finibus Danubii sedes fixas habebant. Nec uero ea sententia repugnat nobis, neque abludit a sententia uniuersalis omnium gentium uocationis, illud tamen concedi non potest, quod ad finitimam Germaniam, Rhenoque proximam, aut inferiorem nostram,

ſtram, peruenerint unquam. Nam ſi IRENAEVM, qui Lugduni uixit, nec ab Apoſtolorum temporibus remotior fuit, conſulamus, facile reperiemus, Germanos ab initio Noui Foederis fuiſſe conuerſos opera curaque PAVLI, ut narrant annales Moguntini, Colonienſes, Treuirenſeſque. Virtutes eius ceteroquin eximiae, et in ſacras literas annaleſque relatae ſunt. Fiducia plenus quidem, ſed poſtea in capite de ſuſcitatione CHRISTI a mortuis diffidens et incredulus, craſſo errore et uitio laborauit, donec ueſtigia clauorum CHRISTI tangeret, et ueritatem reſurrectionis manifeſtis ſignis experiretur.

XXI IACOBVS MINOR, Alphaei filius, ſiue aetatis, ſiue ſtaturae, ratione, Minoris elogio inſignitur, idemque frater CHRISTI nominatur, propterea, quod uxor Alphaei fuit ſoror Mariae, CHRISTI matris, MARCI XV, 40, et Epiſt. ad Galatas I, 19, diuerſus eſt noſtra opinione a IACOBO IVSTO, Epiſcopo Hieroſolymitano, uel eo quidem argumento, quod Apoſtoli non habuerint fixas certaſque ſedes, ut de IACOBO IVSTO conſtat, eum Hieroſolymis cum dignitate Epiſcopi praefuiſſe. Accedit, quod IACOBVS, Hieroſolymorum Epiſcopus, nunquam appelletur Apoſtolus, quo tamen elogio inſignitur IACOBVS ALPHAEI, MATTH. X, 3, GAL. I, 19. Ita patet, tres fuiſſe IACOBOS, MAIOREM, MINOREM et IVSTVM. Minor ſcripſit Epiſtolam, quae IACOBI nomen in Codice ſacro N. T. praefert. Maior enim diu ante ſupplicio, ab Herode irrogato, praeiit. IVSTVS extra ordinem Apoſtolorum fuit, atque adeo Epiſtolam Canon. non ſcripſit. Aſſentiuntur plerique Patres, CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS in Catal. de uiris illuſtr., et alii, cum quibus conf. M. A. DE DOMINIS, II, 2, n. 15, ſq.

XXII IVDAS THADDAEVS, IACOBI MINORIS frater, unam reliquit Epiſtolam Canonicam, et, poſtquam in Iudaea docuit, Galilaeam quoque, Samariam, Idumaeam, et Arabiae urbes peragrauit atque erudiuit. Vid. NICEPHORVS II, 60. De Epiſtola eius conf. EVSEBIVS, III, 9, H. E. Pater eius duplici nomine appellatus eſt ALPHAEVS et IACOBVS, communiter autem ab inſigniori et uſitatiori nomine IACOBI filius cognominatur, quod expreſſit quoque Syrus Paraphraſtes. IVDAS autem non ISCHARIOTES et proditor, ſed cordatus et conſtans Apoſtolus, fuit, qua de cauſa etiam LABBAEVS dici conſueuit, ſed a Thaddaeo, diſcipulo, omnino diſtinguitur.

XXIII

XXIII SIMON CANAEVS, a patria, ab ardore, et Zelo religionis Zelotes nuncupatus est, quo elogio distinguitur a SIMONE PETRO, Apostolorum Coryphaeo. Nobis uidetur idem, qui NATHANAEL, etsi is quoque patria fuit Canaeus, id quod constat ex IO. XXI, 2. Communiter affirmant, apud Africanos docendi partes sustinuisse. Vt uel hoc argumento refellantur, qui asserunt, eum uenisse in Britanniam, ibi que cruci affixum esse. Nam omnia Britannorum monumenta repugnant, et aliter de eo memorat EVSEBIVS H. E. III, 26. Tradit EVSEBIVS, SIMONEM hunc, sub Traiano, Imperatore, passum, et Hierosolymae, ubi Episcopus fuit, martyrii coronam reportasse. Maxime grandis natu fuit, et ad II seculi initium peruenit, centum uiginti annos natus. De cetero scriptores Britannici, sigillatim, FRANCISCVS GODVVINVS, non SIMONEM, sed PAVLVM, in Britannium nauigasse, coniectat in libro de Conuersione Britanniae ad Christianam religionem.

XXIIII IVDAS ISCHARIOTES ultimus inter Apostolos, ex urbe tribus Iudae Xirioth, IOS. XV. SIMON quoque dictus est, cuius docendi ius tituluſque perinde se habet, ac reliquorum Apostolorum, MATTH. X, 4, ACT. I, 17. Quin docuerit, dubitari non potest. Nam ex praescripto muneris ita fieri oportebat, sed, quamuis ante patratum proditionis scelus officio suo non defuerit, tamen cetera, ad uitam ipsius pertinentia, ignoramus. Scelere admisso, laqueo, quem collo circumposuit, rupto, decidit et crepuit, miserabilemque exitum habuit ac funestum. Multi, praesertim critici, non ex laqueo, sed morbo, quem ἀγχόνην uocant, id factum putant. Tutius cum antiquitate dicamus, eum ex suspendio periisse, et, cum in lapidem, uel truncum, incluso spiritu, decideret, compressa subito respirationis uia, disruptum, uiscera effudisse. PAPIAS, et, qui eum sequitur, OECYMENIVS, fabulas narrant. Sed illi prorsus a fide diuinioris historiae et simplici narratione recedunt, qui IVDAE mortem non ex strangulatione per laqueum, sed ex morbo, arcessunt. Illud enim liquido constat, eum ex suspendio periisse, neque aliam solutionis uiam esse quaerendam.

XXV MATTHIAS sorte electus, atque in locum IVDAE, proditoris, surrogatus est, posteaquam CHRISTVS ascendit in coelos, ut ex hist. Act. Apost. liquet. Antea fuit CHRISTI discipulus, et ἀμέσως in hoc

collegium ascitus est, deinde post ascensionem CHRISTI, in Apostolorum ordinem receptus, sortis quidem iudicio, sed ita tamen, ut extraordinarium quid interuenerit, propterea, quod sors signo, coelitus dato, confirmata est, ut tradunt ueteres et ipse etiam DIONYSIVS AREOPAGITA in libro de Ecclesiastica Hierarchia, c. 5. De electione per sortem uid. IOANNES SELDENVS in Syntagm. de Diis Syris. Conf. AMBROSIVS in LVCAE I, ubi ex instituto ueteris legis electionem, sorte fieri solitam, tradit. Hodie sortes sublatae prohibitaeque sunt iure Canonum, nec a priuilegio, MATTHIAE concesso, et exemplo singulari, colligere licet ad usum hodiernum. Aliquando tamen sors permittitur, cum isti, de quorum electione agitur, uitae et doctrinae laude prorsus sunt aequales. MATTHIAM ceteroquin iuisse ad Aethiopes, et Barbaris uerbum diuinum annuntiasse, tradit HIERONYMVS in Catal. supra laudato.

XXVI PAVLVS, unus inter omnes Apostolos doctus legisque peritus, ad capessendum Apostoli munus ascitus assumptusque est, cum reliqui omnes literaturae expertes et legis imperiti essent. Hinc Deo, pro arcana et imperscrutabili prouidentia, uisum est, PAVLVM ceteris Apostolis adiungere, eumque, uelut supernumerarium, recipere, ut singulari, et memorabili, auspicio doctor gentium salutaretur. Is profanis quoque scriptoribus cognitus est, sine dubio ob conciones Graecas, Athenis atque in Graeciae urbibus habitas, maxime propter eloquentiam insignem, quam etiam admirati sunt Athenienses, qui inter Graecos scitissime loquebantur. Duplex nomen habuit SAVLI et PAVLI, quorum prius deinde omisit, alterum, doctor gentium, retinuit, quippe quod gratius esset, magisque placeret gentibus, ad quas docendi causa, commearet. Natus est Tarsi, pulchra, nec ignobili, Ciliciae urbe, quae iuxta Cydnum fluuium erat, et ius ciuitatis Romanae obtinebat. ACT. XXI, 39, XXII, 3.

XXVII Hinc obiectus est ei Ciliciſmus, sed praeter meritum, quando nihil in puro scribendi genere Paulino potest desiderari. Antequam CHRISTO nomen dedit, maximus fuit ecclesiae hostis, ut, post Act. Apostol. historiam, IX et XXVI, autor prologi in Epistolas Paulinas summatim recenset. Philosophiam et artes liberales in schola Tarsensi summo studio didicit, nec a poetarum lectione abhorruit, atque

que haec causa fuit, cur pleraque poetarum loca adduceret et laudaret. Maxime autem Tarsus laude sapientiae et artium disciplinarumque floruit, adeo, ut aliquando in comparationem Academiae Atticae referretur, nec tamen sibi temperauit, quin ad opificium applicaret animum, et artem scenofactoriam exerceret, more Hebraeorum, qui homines literarum studiosos etiam ad opificia saltem animi et honesti usus causa instituebant. Quare PAVLVS fecit scenas castrenses et militares, quod autoribus, CHRYSOSTOMO et THEODORETO, confirmatur. Id uero in certo ecclesiae statu et nascentis aetate licebat, immo, saepe necessarium erat, ne Christiani inopes onerarentur, quippe qui uix agapis et eleemosynis martyrumque curationi sufficiebant. Postea autem, constituta ecclesiae politia, assignati fundi et constituti reditus sunt, quibus alerentur homines sacri ordinis, ut eo liberius, rectius meliusque rebus diuinis uacare possent. Nam hoc uel ideo mutatum abrogatumque est, ne turpis quaestus et ἀιχροκερδία in ecclesiam inueherentur. Gamalielem diligenter audiuit, et doctrina multum profecit, atque omnes artes et disciplinas perquam studiose complexus est, Iudaeorumque sectator, magno et intempestiuo zelo Synagogae defensor euasit, consilio etiam, contra STEPHANVM, protomartyrem, habito, interfuit, nec culpam hanc, emendata postea religione, dissimulauit, ACT. VII, IIX et XXII. Nec modo Hierosolymis, sed etiam Damasci atque aliis in locis, Christianos infestauit et persecutus est, neque id postea negauit, sed ingenue confessus est, et uitia agnouit, quae admiserat, cum ecclesiae hostis et Christianorum osor atque calumniator esset. Quorsum uidere licet I TIM. I, 13. Etsi autem tam acerbe consuluit in coetum Dei, tamen Dei beneficio et gratia singulari a consilio tam prauo crudelitatisque pleno reuocatus est, adeo, ut, uoce coelitus edita, furor eius fractus fuerit, quod eiusmodi est, ut nos admoneat, pessimis tyrannis, omnia pessima atque extrema cogitantibus, a Deo poni obices, quos non perrumpant, nec egrediantur. Quare tandem fracta est improbitas, et pertinacia animi uicta, PAVLVSque, mitigatus et mutatus, diuinae uoluntati cessit, eique amplius obniti non potuit, atque exemplo singulari in partes meliores inflexus, ad CHRISTI ecclesiam accessit. Quorsum uid. Act. Apost. IX et XIX. Postea uero quam ad CHRISTVM

adductus sacrisque initiatus est, nemo magis de ecclesia fuit meritus, ac PAVLVS, ut iam ipsi Iudaei, qui antea PAVLVM norant, stupore defixi, eum CHRISTI assectam et doctorem praecipuum mirarentur, quod promulgaret doctrinam, a CHRISTO traditam, et confiteretur Messiam, reselleretque Pharisaicos ritus, et plus laboris, in suscepto docendi munere, sumeret, quam reliqui omnes. Huc spectant septem homiliae, quas IOANNES CHRYSOSTOMVS habuit in laudem PAVLI, dignae lectu, et perelegantes ac graues, quae extant T. IIX OO., p. 33, edit. Sauill. Nulla tamen necessitate correptus, et freno acriori coercitus est, ut recte pronuntiauit CHRYSOSTOMVS in Homil. cit., ubi fassus est, se non restitisse, argumento nullius necessitatis, quae a Deo non imponitur hominibus, etiam extra ordinem uocatis. Is, postquam CHRISTI notitia imbutus, et fonte sacro ablutus est, in medias Iudaeorum scholas intrauit, libereque concionatus est, ac palam promulgauit, CHRISTVM esse Dei filium, et salutis aeternae autorem, sine quo nulla salutis spes sit. Magna hinc Iudaeorum inuidia odiumque ei conflatum est, sed nihil expauit PAVLVS. Illud maxime pungebat Iudaeos, quod is, qui ante omne consilium operamque ad exstirpandos Christianos contulerat, iam eorum amicus et propugnator, et CHRISTI praeco factus esset, id quod egregie declarant CHRYSOSTOMVS et citatus prologi autor. Nec solum de CHRISTO, sed etiam de salutari eius merito et iustitia fidei, per eum parta, sedulo ac religiose uerba fecit, iustitiamque operum, qua Pseudoapostoli et Pharisaei nitebantur, reiecit ac damnauit. Inde magis commoti sunt Iudaeorum doctores, et insidias aduersus eum compararunt. Simul et gentes a cultu Dei alienas, demonstrata naturali Dei notitia, insitoque honesti et turpis discrimine, ab idololatria et turpitudine grauiter dehortatus est, et ab iniustitia ad piam religiosamque uitam traduxit, et scortationes, in leui habitas, exaggerauit, ut eo magis pudori consuleret, et uirtutes commendaret. Vtrosque admonuit, ne suis meritis gloriarentur, sed fiducia in CHRISTVM nixi, nihil sibi tribuerent et arrogarent, atque in diuinis beneficiis acquiescerent, et neutri alteris se praeferrent. Quam ob rem inter Iudaeos et gentes insigni quodam et prudenti temperamento uersatus est, illos ob incredulitatem priuilegio et gratia excidisse, testatus,

has autem, ob tot sapientum praecepta atque edita laudis specimina elatiores, inania praerogatiuae argumenta afferre. Ita hos exteros sapienter commonuit, ut de Iudaeis, a Deo reiectis, non abiecte sentirent, quippe qui tot uitia et turpitudines contra notitiam Dei naturalem admisissent, et omni genere immunditiae se polluissent, id si recogitarent, fore sperabat, ut iactantia et aemulatione abstinerent, solaque Dei misericordia et beneficio se sustentarent ac solarentur. Romae multos ad CHRISTVM perduxit, etiam aliquot ex aula Neronis, quem Leonem uocat, PHILIPP. IIII, II, 2 TIMOTH. IIII, 17. Multa pericula subiit, structis ei passim insidiis, maxime a Iudaeis. Hinc oraculo diuino Hierosolymis excedere iussus, in Syriam Ciliciamque commeauit, Gal. I, 21, cum altera uice Hierosolymam ueniret, tumultus a Iudaeis Asiaticis concitatus, PAVLVSque uerberibus affectus est. Hinc ad flagella damnatus, sed propter ius ciuitatis Romanae prouocauit ad Caesarem Rom., atque hanc ob causam ad senatum Hierosolymitanum, ab eoque ad Felicem, Iudaeae Procuratorem, dimissus, coram quo causam dixit, nec multo post, cum Festus Iudaeae praeesset, ad Agrippam, Regem, deductus, testimonium innocentiae accepit, et literas dimissorias ad Imperatorem Romanum, Romamque itinere maritimo delatus, naufragium fecit, sed saluus cum omnibus euasit, et Romam peruenit. Vid. Act. Apost. XXI, XXII, XXV, sq. Romae cum Nero imperaret, duobus annis in liberiore custodia fuit, et munus docendi nequaquam intermisit. Postea iudicibus se stitit, causamque perorauit, et, facta peregrinandi potestate, in Hispaniam abiit, atque hinc in uicinas regiones et insulas, ad ipsam adeo Britanniam, ut docti colligunt, et erudite coniectant. Vid. EVSEBIVS, II, 22. Ad supplicium abstractus est A. C. LXIX, postquam uaria discrimina adierat, et magnam Asiae Europaeque partem peragrauerat, nominatim Syriam, Ciliciam, Lycaoniam, Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Graeciam, Macedoniam, Italiam, Dalmatiam, Hispaniam, aliasque regiones, quod partim ex historia Actuum, partim ex TERTVLLIANO et EVSEBIO, intelligere et confirmare licet. Romae uarias scripsit Epistolas, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, ad Hebraeos, atque inter eos plerique in PAVLVM multa et luculenta beneficia contulerunt, quo nomine

nomine celebrat in primis Philippenſes ac Philemonem, aliqui etiam, ex oriente profecti, eum Romae ſalutarunt, et officiis proſecuti ſunt, inter quos TIMOTHEVM, praeter ceteros fuiſſe, exiſtimamus.

XXIIX De PAVLI in tertium coelum raptu, ſingulari et eminenti ratione facto, ſtatuendum, eum omnes alios raptus ſuperaſſe, ſolique PAVLO contigiſſe, cum extraordinaria reuelatione uerborum, quae effari non potuit, adeo, ut, animo in his audiendis defixo, neſciret, iunctuſne adhuc corpori, an corpore ſolutus liberatuſque, eſſet. Non tunc theologiam didicit, quam antea percepit, ſed uerba, quae eloqui non poterat, excepit. Quod accidit A. C. XLIIII, et miro modeſtiae exemplo per multos annos reticuit, donec e re et dignitate muneris eſſet. Vid. 2 Corinth. XII, 1, ſq., et in hunc locum CHRYSOSTOMVS, THEODORETVS, THEOPHYLACTVS, OECVMENIVS, qui etiam Pauli σκόλοπα, u. 7, commode interpretantur de aerumnis, calamitatibus, et uexationibus, quae, diaboli inſtinctu, PAVLVM ſaepius conturbarunt, ſed non perturbarunt. Tertium coelum dicit, non tertiam coeli partem, ut erudite monet EPIPHANIVS in Ancorato.

XXIX Epiſtolae PAVLI ad SENECAM, et SENECAE ad PAVLVM, ſunt confictae, quod argumento ſtyli diſparis et rerum confictarum, quae continentur, ibi liquet. Vid. ROB. COCVS, p. 19, cui ſuffragantur ERASMVS, BARONIVS, ipſe et POSSEVINVS. Acta PAVLI pariter ſunt apocrypha, uel maxime ipſius EVSEBII autoritate H. E. III, 3, et HIERONYMI in Catal. S. E., GENNADII, et aliorum. Liber de Aſcenſu PAVLI confictus eſt, quem Caiani et Gnoſtici comminiſcebantur, quo contineri ea, affirmabant, quae PAVLVS in tertio coelo audiuiſſet. Vid. EPIPHANIVS, Haereſi XXXIIX, Tomo IIX.

XXX Septuaginta diſcipuli a CHRISTO electi atque ad docendum miſſi ſunt, quorum collegium amplum fuit et magnum, ſed an CHRISTVS illud poſt ſuſcitationem ſuam exiſtere et permanere uoluerit, certis hiſtoriae ſacrae argumentis euinci non poteſt. Interim uid. LVC. X, 1, 17, ſq. Ex his ſuperſtites haud dubie poſt CHRISTI reſurrectionem uerbum coeleſte promulgarunt, eorumque numerus deinde auctus eſt, qui non ſecus, ac reliqui Apoſtoli, dona Spiritus S. extraordinaria obtinuerunt, quorſum uid. Acta Apoſt. I, 15, II, 1, IIII, 31, IIX, 15, X, 41. Inter eos quo-

quoque fuerunt VII Diaconi, tanquam redituum ecclesiae curatores, etsi non fuerunt a docendi partibus in uniuersum excluſi, I Tim. III, 8, et ad Philipp. I. Consentiunt IGNATIVS et antiquissimi ecclesiae Patres. Quot eorum fuerint, anxie disputari solet. IRENAEVS, TERTVLLIANVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, THEODORETVS et alii ecclesiae doctores, et Concilium Neocaesarienſe Can. XV, septuaginta discipulos numerarunt, alii plures recensuerunt, nominatim ORIGENES, EPIPHANIVS, AVGVSTINVS, qui LXXII constitutos fuisse uolunt. Quidam ex recentioribus, argumento duarum et septuaginta linguarum, in confusione Babylonica exortarum, LXXII discipulos colligunt, sed inani et absurda ratione. Sunt alii, qui existiment, suum cuique genti discipulum fuisse assignatum, ut eo expeditius rectiusque partes docendi peragerentur. Hodie ex formula Concilii Tridentini execrationi obnoxius est, quisquis eidem, LXXII discipulos definienti, refragatur. In qua causa C. BARONIVS nititur incertis traditionibus. Nec melius sentiunt, qui sigillatim omnia eorum nomina enarrant. Modestior cordatiorque est EVSEBIVS, H. E. I, 2. Nugas PSEVDODOROTHEI et RAPHAELIS VOLATERRANI nihil moramur, rationes tamen probabiles et coniecturas admittimus, quae ex hist. Act. Apost., VI, XXIIII petuntur. Inter hos discipulos numerantur BARNABAS, SOSTHENES, MATTHIAS, THADDAEVS, et aliqui ex Diaconis, quorsum conf. EVSEBIVS, iam laudatus, cui addatur EPIPHANIVS aduersus haereses. Igitur caute prudenterque hoc argumentum tractari debet, ut non facile aliquos hoc loco admittamus, quos historia diuinior in Act. et Epistolis PAVLI non citauit. Hinc errant, qui Eunuchum inter discipulos referunt, quippe qui diu post Christi ascensionem notitia diuiniori est imbutus. Vid. Act. VII, 27. Multo minus PHILEMON discipulis annumerari debet, quippe qui longe post a PAVLO ad religionis doctrinam institutus est, quod Epistola eius ad Philemonem testatur. Illud longe absurdius est, quod LVCAM uulgo discipulis CHRISTI adiungunt, propterea, quod hic CHRISTI actis ipse non interfuit, prout a principio Euangelii testatur, LVCAE. I, 2. Sobrie magis sapienterque EVSEBIVS concedit et confitetur, nomina discipulorum ignorari, quod tanto magis nos concedamus, oportet, qui a seculo Apostolico maiori temporum interuallo disiuncti sumus. Non

 uero

uero est, cur miremur, Latinae ecclesiae doctores permultum sibi indulgere, quippe qui discipulos non perinde, ac nos, considerant et sumunt, sed eorum uocationem acceptam quoque ferunt Apostolis, atque adeo Apostolos, uelut Episcopos, insigniunt, horumque Presbyteros LXX discipulos nominant. Contra discipuli tribus his argumentis constituuntur et cognoscuntur, quorum primum est designatio, alterum missio, et postremum utriusque consequens, institutio, quae si coniunguntur, facile liquet, quot proprie discipuli sint, et hoc nomine appellentur. Sane etiam VII Diaconi ab Apostolis delecti et ordinati sunt, et uulgo et laxe etiam discipulis annumerantur. Summatim uero Apostoli ordine et gradu maiores fuerunt, quamuis eadem potestate ecclesiastica omnes praediti fuerunt, quod uel declaratur exemplo MATTHIAE, in collegium Apostolicum recepti.

XXXI. Restat, ut de EVANGELISTIS dicamus, qui ratione uocabuli bonum faustumque nuntium afferunt, et Graecis familiari nomine εὐάγγελοι appellantur. Quod Euangelistis, qui historiam uitae morisque CHRISTI composuerunt, rectissime conuenit, quando salutarem CHRISTI aduentum, atque res, ab eo gestas, annuntiarunt pariter, atque scriptis consignarunt. Eorum duntaxat quatuor extiterunt, duo etiam, MATTHAEVS et IOANNES, Apostoli fuerunt, qui totidem Euangelia nobis reliquerunt, quae uera quidem et Canonica supersunt. Cetera diuinam autoritatem mentiuntur, qualia sunt Euangelium THOMAE, PETRI, MATTHIAE, quippe quae uetus ecclesia non modo non admisit, sed etiam reiecit. Quorsum uid. EVSEBIVS H. E. III, 19. Non melioris notae sunt Euangelia PAVLI, BARTHOLOMAEI, IACOBI ALPHAEI, et Proteuangelium IACOBI, quod circumfertur. Vid. IRENAEVS III, 11, collato I, 35, ATHANASIVS in Synopsi Scripturae, THEODORETVS de Haereticis fabulis, I, cum quo EVSEBIVS coniungatur.

XXXII. Quatuor ergo tantum sunt Euangelia, MATTHAEI, MARCI, LVCAE et IOANNIS, non plura, nec pauciora. Par quatuor horum Euangeliorum autoritas, et par atque aequalis reuelatio diuina, neque fraudi est MARCO et LVCAE, quod Apostolorum discipuli fuerint, alter PETRI, alter PAVLI. Hanc enim ob causam

Euan-

Euangeliſtis reliquis non ſunt inferiores, et uterque etiam Spiritus S. afflatu perſcripſerunt, non ſolum ex ore et doctrina Apoſtolorum, quorum diſcipuli fuerunt. EPIPHANIVS tamen, ipſius CHRISTI diſcipulos nominauit, ut conſtat ex Haereſi LI, cum quo ſentiunt EVTHYMVS et DOROTHEVS ſcriptores multo recentiores.

XXXIII Inter hos MARCVS PETRI comes atque diſcipulus fuit, cuius familia ignoratur. Euangelium Romae perſcripſit, ſuffragio ueterum, IACOBI CHRYSOPOLITANI, HIERONYMI et AVGVSTINI. Eius ex IRENAEO et CLEMENTE ALEXANDRINO meminit EVSEBIVS, H. E. V, 8, et II, 14, ſq. Conf. ORIGENES in Matthaeum. Eum fuiſſe inter diſcipulos CHRISTI, non eſt ueriſimile, etſi ita uiſum eſt ORIGENI, ut refert SIXTVS SENENSIS. Euangelium eius uulgo αὐτόγραφον Venetiis extare, creduli quidam putant.

XXXIIII LVCAS, patria Antiochenus, et Pauli comes, doctrinae genere Medicus, ut tradit EVSEBIVS, III, 4, et V, 8. SIMON METAPHRASTES, atque ex eo NICEPHORVS CALLISTVS, H. E. XIIII, tradunt, LVCAM eſſe ſermone Latino Lucium, et addunt, eum fuiſſe inter comites Emmaunitico s, quae ſententia eſt TERTVLLIANI in libro contra Marcionitas. Aliqui eum diſcipulis LXX annumerarunt, ut EPIPHANIVS, Haereſi XXX. Quae ſententia mihi non probatur, et plane aliud ex principio Euangelii Lucae uidetur patere. A PAVLO inſtitutus, atque ad CHRISTI ſacra traductus memoratur. Quorſum uid. EVSEBIVS H. E. III, 4, OECVMENIVS et THEOPHYLACTVS. Fuit PAVLI comes, et cum eo Italiam, et Dalmatiam et Macedoniam, obiit doctrinaque illuſtrauit. Vid. IRENAEVS, III, 9, contra haereſes, EVSEBIVS, d. l. Lucae Euangelium PAVLVS ſuum appellat, ut EVSEBIVS interpretatur, d. l., ad Rom. II, 16, 2 Tim. II, 8. Vbi tamen alii doctrinam PAVLI, ab Euangelio Lucae diſtinctam, commodius intelligere uidentur. Alioquin hinc elici poſſet, Euangelium LVCAE a PAVLO dictatum ei fuiſſe, quod tamen contra dignitatem Euangelii non eſt inferendum.

XXXV MATTHAEVS, Euangeliſta, ſupra expoſitus eſt, quem fuiſſe publicanum, contra ORIGENEM ſupra aſſeruimus, uitamque

eius in serie Apostolorum descripsimus. Vid. de eo HIERONYMVS ad MATTH. X, et THEOPHYLACTVS in MATTH. c. 2.

XXXVI IOANNES, de quo supra diximus, uixit usque ad excidium Hierosolymitanum, et uastitatem urbis uidit, cuius uitam scripsisse dicitur PROCHORVS, assiduus IOANNIS comes, sed ab ipsis etiam Latinis doctoribus cordatioribus exploditur. CORNELIVS A LAPIDE affirmat, esse amissum, nec infitiatur PHIL. LABBEVS, confictum esse hoc opus, in quo extant fabulae aniles et uiro Apostolico indignae, praeterea uoces Apostolico aeuo nondum receptae.

XXXVII Septem DIACONI, atque inter hos STEPHANVS aduena fuit et Proselytus, et patria Graecus, etsi a parentibus Hebraeis in Graecia fuit prognatus. Vid. ACT. VI, 5. Primus, ratione ordinis, recte uocatur et fortasse etiam, ratione maioris dignitatis et gradus reuelationis, atque illuminationis diuinae. Hanc declarat eius concio, quam habuit, cum eloquentia, tum grauitate, insignis. In hanc rem conf. AVGVSTINVS et DAMASCENVS, qui STEPHANVM a pulchritudine mirifice commendant, quamuis huius rei fundamentum in antiquitate non extet, nisi forte ex interpretatione uerborum LVCAE VI, 15, occasio haec sit deprompta. Communiter STEPHANVS Protomartyris elogio discernitur atque appellatur. Quod ea lege admitti potest, si IOANNI non sit fraudi, et tempora commode distinguantur. Dies memoriae Stephani sacer accurate hactenus definiri non potuit, alii in Augustum, alii in Decembrem, reiiciunt, alii in alium mensem translatum esse, affirmant. Quorsum uid. BEZA, DVRANDVS, et Martylogiorum scriptores.

XXXIIX PHILIPPVS, Caesareae, in Palaestina natus est, ut tradunt Martyrologia, et Samaritanos docuit, operamque Eunucho Reginae Candaces adhibuit, ut CHRISTI sacra amplecteretur. Vid. LVCAS in Hist. ACT. VI, 5, IIX, 12, XXI, 8, TERTVLLIANVS de Baptismo, c. 8, EVSEBIVS, III, 39, qui Apostolum uocant, uocabulo laxius sumpto. HIERONYMVS quoque eius meminit, et Caesareae sepultum, affirmat. Quatuor habuit filias, quarum tres Caesareae, quarta Ephesi, sepulta memoratur. Interea conf. Martyrologium Rom. ad diem VI Iunii,

Iunii, DAMASCENVS de Orthodoxa fide, IIII, atque ex eo EVSEBIVS exponatur, cum PHILIPPVM dixit Apostolum, id est, uirum Apostolicum, ab Apostolis constitutum atque ordinatum.

XXXIX PROCHORVS, IOANNIS comes, ab EVSEBIO et HIERONYMO commemoratur. PETRVS de NATALIBVS Nicomediae dignitate Episcopi perfunctum esse, tradit, sed huius scriptoris fides haud quaquam certa est. Illud communiter tradunt, et fide Martyrologiorum confirmant, Antiochiae martyris notam tulisse, diemque exprimunt IX Aprilis. Historia eius de Vita Ioannis, iam supra reiecta est, quanquam in Biblioth. Patrum relata est, hodie tamen ipsi doctiores in ecclesia Latina fraudem agnoscunt, et Pseudoprochorum appellant. Sane in hoc libro Euangelium IOANNIS inter ultima IOANNIS scripta refertur, quod tamen nos de Apocalypsi Ioannaea asseueramus.

XL NICANOR tantum nomine cognitus celebratusque est. Nam cetera ex eius monumentis non constant. Martyrologia nihilo minus martyrio functum esse, referunt, in insula Cypro, quod unde hauserint, non liquet. Dies X Aprilis in Fastis est nomine eius insignitus.

XLI TIMON parum quoque apud scriptores antiquos notus, et autoritate Martyrol., dubia satis fide descriptus, atque ad XXIX Aprilis diem relatus. Nam et EVSEBIVS, et Patres prisci, nihil, de hoc scriptum reliquerunt, nisi, quod traditiones citantur de eius doctrina, qua Corinthum illustrauerit, ac deinde ab hostibus comprehensus, atque ad rogum damnatus, fuerit, unde illaesus excesserit, et postea actus fuerit in crucem.

XLII PARMENAS, patria Graecum fuisse, uel solo nominis indicio innuitur atque indicatur. Traiani aequalem fuisse, memorant, et sub eo martyrio affectum, pariter tradunt. Locus ignoratur, sed tempus, nullo tamen antiquitatis documento, ab autore Martyrologii Rom. definitur. Vnde etiam de eo plura non addimus, quia certiora non reperimus.

XLIII NICOLAVS in historia Actuum memoratur, et describitur, tanquam proselytus, quod indicium est, eum habuisse parentes Graecos, et ea de causa Graeco nomine appellatum fuisse. Ab eo Nicolaitas, impuros haereticos, arcessunt, non, quod Nicolaus autor fuerit prauae huius sectae, sed quod periculum creauerit fidelibus, et, ut in scholis loquuntur,

quuntur, scandalum dederit, quod acceptum uocant. Hanc sententiam tuentur IRENAEVS I, 27, TERTVLLIANVS libro de Praescriptione, c. 46, EPIPHANIVS, Haer. XXV, et HIERONYMVS. Ab iis autem dissentiunt alii Patres, CLEMENS ALEXANDRINVS, Strom. III, EVSEBIVS, H.E. III, 23, THEODORETVS, Haeret. fabularum III, quorsum etiam respicere uidetur IGNATIVS in Epist. ad Trallianos. Suffragatur inter Latinos AVGVSTINVS. Hinc etiam ipse C. BARONIVS mitius de NICOLAO sentit, eumque excusandum putat, non accusandum. Sed C. A LAPIDE et DIDACVS STELLA, Nicolaitas a Nicolao, Diacono, appellatos fuisse, docent, in primis STELLA confidenter affirmat, NICOLAVM in haeresin esse lapsum. Nec uero NICOLAI, Diaconi, mentio fit in Fastis martyrum, quo argumento dissentientes plerique nituntur. Nam, quod Martyrologium omiserit NICOLAVM, non sufficit, quippe cuius autor certos, non dubios, sanctos referre uoluit, etsi, consideratis Patrum testimoniis, NICOLAVS omnino debuit esse excusatus.

XLIIII Inter reliquos huius seculi doctores eluxerunt sequentes, IOSEPHVS BARNABAS, seu BARSEBAS, patria Cyprus, et S. Pauli familiaris, atque ab eo in Epistolis crebro citatus, atque inauguratus et ordinatus. Sunt aliqui in ea sententia, quod PAVLI condiscipulus fuerit, et cum eo GAMALIELI operam dederit, quod certo probari non potest. Eidem Epistola tribuitur Graece edita, quam emiserunt HVGO MENARDVS, ISAACVS VOSSIVS, et nouissime IO. BAPT. COTELERIVS, qui eam notis illustrarunt. Verum, ut haec Epistola quaedam habeat, quae durius in Apostolos dicta sint, tamen et antiquitate, et autoritate, ecclesiastica iam dudum enituit, et ab antiquissimis Patribus laudata est, nominatim, ab ORIGENE, antiquitatis scientissimo. Nec refert, quod Apostolos fuisse iniquissimos eo tempore, quo a CHRISTO uocati sunt, tradat. Illud enim negari non debet, et tempora ante, et post uocationem, discerni oportet, quod etiam contra CELSVM explicat ORIGENES ac defendit. Caute igitur hic legendus est NATALIS ALEXANDER, qui suppositam hanc Epistolam uocat et apocryphum, quod posterius concedi potest, in comparatione ad libros, Canone diuino comprehensos. BARNABAS denique martyrium subiit, et in Cypro, ut perhibent, occisus est, quanquam tota haec res incerta et perobscura mihi uidetur, nec quic-

quam

quam de BARNABA occurrit in monumentis, ORIGENEM antecedentibus. De martyrio eius LVCIVM DEXTRVM conferre licet.

XLV CRESCENS, discipulus PAVLI, in Galliam Germaniamque Rheno coniunctam, ueniſſe, uerbumque Dei docuiſſe, memoratur. Huius meminit PAVLVS 2 Timoth. IIII, 10, ubi CRESCENS in Galatiam miſſus traditur. Vulgo Galliam exponunt, immo, quidam adeo ſunt audaces, ut Galatiam expungant, et Galliam ſubſtituant. Sed hi audaciores ſunt, qui hoc ſibi indulgent. Priſci enim Patres, et inter hos CHRYSOSTOMVS, conſtanter legunt εἰς γαλατίαν, et ab EPIPHANIO recedunt. Galatia innuitur Graeco-Gallia, regio Aſiae et ueterum Gallorum colonia, ut ex IVSTINO confirmari poteſt. Autoritate igitur PAVLI in Galliam Germaniamque non uenit, niſi Gallatia, pro Gallia, more quorundam ſumatur, ut ex APPIANO conſtat. Hinc HIERONYMVS in Comment. ad Galatas, et ante eum EVSEBIVS, Galliam interpretantur, ex quo intelligitur, eius aeuo non fuiſſe dubitatum, quin CRESCENS in Galliam uenerit. Galliae autem nomine apud antiquiores etiam Germani interdum intelliguntur, quod ex PLVTARCHO et SALLVSTIO elici poteſt.

XLVI HERMAS inter Apoſtolicos uiros a pia antiquitate relatus eſt, de quo uaria et incerta uulgo traduntur. PAVLI fuiſſe diſcipulum, communis ſententia eſt, et ſcriptis etiam celebratur, in primis uulgato libro, qui Paſtoris titulo circumfertur. Vid. EVSEBIVS H. E. III, 3 et 25. Eius mentio extat in Epiſt. ad Romanos, XVI, 4. Reſtat iam, ut accuratius de credito Paſtoris libro, qui HERMAE nomine inſcribitur, diſſeramus. Extat ille in Biblioth. Patrum T. I, et in Orthodoxogr. Patrum. Illud certe ex argumento ſcriptoris et indiciis aliis liquet, HERMAM, PAVLI diſcipulum, non eſſe huius libri autorem, propterea, quod uiſiones ineptas proponit plane atque abſurdas. Ea de cauſa HIERONYMVS librum hunc apud Latinos ignotum eſſe, affirmat in Catal. Script. eccleſ. ROB. BELLARMINVS magis credulus, HERMAM iſtius libri autorem putat. STAPLETONVS paullo aliter ſentit, et librum non quidem eſſe HERMAE concedit, ſed tamen eſſe Apoſtolorum ſcriptum, confidenter tradit, illudque cum Epiſtola IACOBI comparare audet. Nec dubium eſt, ex PSEVDO-HERMA quaedam adduci poſſe, quae traditionibus Latinae

tinae ecclesiae inseruiant, cum ibi et somniorum, et uisionum, magna copia sit, et inter traditiones uulgo celebrentur. HVGO GROTIVS etiam hunc librum approbat, qui tamen, in spuriis scriptis iudicandis et distinguendis acer et perspicax esse solet. Vid. in notis ad LVCAM, c. XVII. Sane discipulus ille PAVLI, et uir omnino apostolicus, nihil a scriptura diuiniori diuersum docuit, nec EVSEBIVS diffiteri potuit, librum uel ea de causa pro adulterino esse habendum. Hinc etiam ipse GELASIVS in Concil. Romano, librum hunc inter apocryphos refert. Existimat quidem NATALIS ALEXANDER, GELASIVM inter apocryphos numerasse hunc librum, non propter noxiam doctrinam, sed, quod non esset canonicus. Ita uero purgatorium, orationes pro mortuis, uisiones ineptae, nihil doctrinae noxiae continebunt, quae tamen a regula uerae ecclesiae et doctrina melioris notae abhorrent. Sunt, qui tradunt, HERMAM PII I, Episcopi Romani, fratrem fuisse, sed id alii negant, aut certe dubitant. Illud profecto concedi debet, PASTOREM, qui hodie circumfertur, non esse eum, quem citant ueteres, quod clarissimo euincitur argumento, quoniam in Epistola PII I controuersiae adducuntur, quae tempore Hermae Apostolici nondum erant notae. PIVS enim ex HERMAE libro decidere ausus est controuersiam Paschalem, cuius tamen nihil extat in HERMA, qui hodie circumfertur, sed longe post demum cum ineptis suis traditionibus prodiit in lucem, ut mirari in mentem ueniat, quam ob rem NATALIS ALEXANDER autoritatem libri Pastoris dicat, esse HERMAM PAVLI, Apostoli, discipulum, quod sane HERMAE ueteri et apostolico prorsus repugnat. NATALIS ALEXANDER, sec. I, p. 101, sqq.

XLVII DIONYSIVS AREOPAGITA fuit PAVLI discipulus, et ab eo ad religionem Christianam condocefactus est, cuius mentio extat Act. XVII, 18. Occasio ad suscipienda sacra fuit, autore SVIDA, magna illa et memorabilis, quae tempore perpessionis Domini incidit, ecclipsis. Huic DIONYSIO uaria tribuuntur scripta, ut liber de Hierarchia ecclesiastica, de Mystica theologia, item de diuinis Nominibus, et quaedam Epistolae, quae partim in Gallia, partim in Brabantia, partim Coloniae Vbiorum, prodierunt, de quibus diuersa extant iudicia, nec inter se congruunt. Pontificii plerique DIONYSIVM, PAVLI discipulum, scriptorem talium auto-

autorem uenditant, nominatim BARONIVS ad A. C. CIX, POSSEVINVS in Apparatu eccleſ., BELLARMINVS de Monachis, II, 4, et plerique commentatores in c. 18. Act. Apoſtol. NATALIS ALEXANDER contra DALLAEVM, Reformatum, diſputans, exiſtimat, cauſam huius rei altius eſſe repetendam, atque eo inclinat, ut, ſeculo III et IIII Patres citaſſe DIONYSII libros, ſummo ſtudio operaque probet in ſec. I, art. 13, p. 136, ſqq. Longius progreditur in Diſſertat. XXI, p. 257, ubi omnino dicit, Libros, S. DIONYSIO AREOPAGITAE inſcriptos, eſſe germanos illius foetus. Sed haec ſententia cum ueritate argumentorum hiſtoriae conciliari nequit, partim, quod ſtylus Dionyſianus plane abhorreat ab uſu ſec. I, partim, quod uocabula DIONYSIVS ille λεγόμενος adhibet, et res adducit, tribus prioribus ſeculis prorſus ignoratas, ut, quando agit de templis, de locis Catechumenorum, extra fores templi, de monachis, de miſſa, aliiſque, longe poſt ſeculum Apoſtolicum introductis. Nec dicam, quod DIONYSIVS, ratione temporum conciliari non poſſit cum Apoſtolica aetate, propterea, quod periocham IGNATII citat et laudat, cum tamen prior fuerit IGNATIO. Vid. DIONYSIVS de Nominibus diuinis, c. 4. Neque illud quadrat, quod uulgo affirmant, quod Mariam, CHRISTI matrem, iam mortuam, uiderit, aut certe uidere uoluerit. Nam illo, tempore, quo deceſſit Maria, nondum DIONYSIVS CHRISTI ſacra profeſſus erat, neque adeo uidendae Mariae deſiderio poterat teneri. Simile illud eſt, quod TIMOTHEVM appellat puerum, qui tamen DIONYSII aetate non puer, ſed epiſcopus, fuit, tum uero accurati antiquitatis eccleſiaſticae cenſores, EVSEBIVS et HIERONYMVS, nihil de his PSEVDO-DIONYSII libris commemorarunt. Huc ſpectant iudicia ERASMI ROTERODAMI, et ante eum LAVR. VALLAE, uirorum longe doctiſſimorum, qui de his DIONYSII libris haud aliter pronuntiarunt, cum quibus faciunt ISAACVS CASAVBONVS, RIVETVS, aliique. Illud uero magno certamine diſputatur inter hodiernos Gallos, an uerus DIONYSIVS Gallorum doctor, et, ut uocant, Apoſtolus, fuerit, quod quidem alii affirmant, alii negant, nec deſunt nobis argumenta, quae moueant, ut ad negantium ſententiam accedamus. Craſſius enim ſenſit NATALIS ALEXANDER, qui crimini id dare uoluit infitiantibus. Nuſquam enim legimus, DIONYSIVM hunc, PAVLI diſcipulum, nauigaſſe in Gal-

liam, nec ignorari debet, plures fuisse DIONYSIOS, inter quos Apostolicus ille sane in Galliam non uenit, tum aetas eius repugnat, ut tam longum iter conficere potuerit, ut taceamus, CRESCENTEM, Pauli discipulum, in Galliam ueniisse.

XLIIX IGNATIVS, uir Apostolicus et Episcopus Antiochenus, idemque IOANNIS, discipulus, quem audiuit, et grandis aetate fuit. Qui, etsi seculo II obiit, tamen ordinis et nexus causa haud incommode ad sec. I refertur. De sacerdotio et episcopatu eius conf. EVSEBIVS H. E. III, 32, HIERONYMVS de Scriptor. eccles. c. 16, ante utrosque IRENAEVS aduersus haereses V. Multa etiam de eo tradit NICEPHORVS CALLISTVS Hist. eccles. III, 2. Scripsit VII Epistolas, ut ad Trallianos, Magnesios, Philadelphenses, Smyrnaeos, Ephesios, Romanos, et ad POLYCARPVM. Editio harum mendosa admodum et minus castigata est, quam VEDELIVS curauit. Alii, ut VSSERIVS, et postea ISAACVS VOSSIVS, accuratissime ex Biblioth. Medicaea recensuerunt. Semper in ore habuit celebrem illam periocham, Amor meus crucifixus est. De cuius interpretatione eruditi laborant. Plerique de amore ὑποστατικῷ, origine altius repetita, exponunt, cum ἔρωτα Platonicum substantialem fuisse, satis ex PLATONE constet. VINCENTIVS, monachus, affirmat, IGNATIVM, cum IESV nomen continenter repeteret, interrogatum respondisse, se id facere merito, quod nomen IESV profunde cordi suo inscriptum esset. Sane a IIII inde seculo, usque ad IIX, omnes Graeci Patres atque doctores amorem substantialem in Epistola ad Romanos Ignatiana iterpretantur. Fuit Antiochiae Episcopus, post EVODIVM secundus, uel, ut alii numerant, post Petrum tertius. Quorsum conf. EVSEBIVS III, 22 et 36. Antiochenam urbem per nouem annos doctrina atque concionibus illustrauit. Vid. NICEPH. CALLISTVS, III, 2, et cum EVSEBIO coniungatur. Posthaec sub Traiano e Syria accersitus, captiuusque in urbem ductus, est, quod NICEPHORVS tricesimo Traiani anno accidisse, putat. Dum iter faceret, et Imperatoris mandato obsequeretur, multos ad salutem instituit, et in uia etiam docendi partes haud neglexit, ut ex EVSEBIO liquet. Romae bestiis obiectum, annales ecclesiastici tradunt, ossa eius a leonibus deuorata, pleraque tamen et firmiora cum reliquiis Antiochiam asportata, et ibi decen-

decenter compoſita, tandem Conſtantinopolin auecta, et ibi honorifice ſepulta fuerunt. Vid. NICEPHORVS III, 29, BARONIVS et LABBAEVS ad A. C. CX, et Martyrologium Rom. Communiter affirmant, ſub tempora IGNATII coepiſſe morem Antiphonarum, quod SOCRATES refert Hiſt. eccleſ. VI, 8, qui una tradit hoc, IGNATIVM ab Angelis accepiſſe, et in uiſione quadam Angelos audiuiſſe, carminibus ſacroſanctae Triados elogium reſonantes, atque horum exemplo et imitatione deinceps hunc modum conſtituiſſe, per Antiphonas laudandi Deum in coetibus conuentibuſque ſacris. Epiſtolae eius VII ab EVSEBIO et HIERONYMO laudantur, unam autem ad Philadelphios praetermiſit EVSEBIVS III, 36, quam autem citat HIERONYMVS in Catal. Script. eccleſ., et alii poſt eum. Ceterum VII hae Epiſtolae, ab aliquibus interpolatae, diſtingui debent a repurgatis et integris, quales e Codice Medicaeo deſcriptae ſunt, reliquae praeter has VII ſunt ſuppoſitae et falſae. Autor harum VI Epiſtolarum appellatur PSEVDO-IGNATIVS, ut ſunt Mariae Caſſiobelitae, ad Tarſenſes, ad Antiochenſes, ad Heronem, Diaconum, ad Philippenſes, ad Mariam Neapolin. Quaedam interpolatae ſunt, quales ſunt Vedelianae. Vid. in hanc ſententiam VSSERIVS, ARMACHANVS, ISAACVS VOSSIVS, PEARSONIVS, HALLOIX in Annotatt. ad uitam IGNATII, nouiſſime COLOMESIVS. IRENAEI autoritatem conuellere conatur DALLAEVS, quippe qui POLYCARPI diſcipulus fuit, et IGNATII Epiſtolas commemorauit apud EVSEBIVM d. l. Vtitur argumento, quod dixerit, ἔπέ τις, quaſi haec ex apophthegmatibus IGNATII, non ex Epiſtolis, eſſent deprompta. Sed nulla IGNATII apophthegmata nouit antiquitas. Deinde dicere hic idem eſt, quod ſcribere, uſu Patrum ueterum. Deſignatur ergo hic Epiſtola IGNATII ad Romanos ultima inter eas Epiſtolas et iamiam laudata. Reliquae autem Epiſtolae habent multas nouas phraſes, a ſtylo IGNATII alienas, et meminerunt haereſeos ab Apollinare quodam introductae, quae diu poſt tempora IGNATII coepit. Sic idem PSEVDO-IGNATIVS ſtatuit, quod, qui Paſcha cum Iudaeis celebret, particeps fiat occiſionis Domini, quod cum ſtylo IGNATII et conſuetudine orientalium non poteſt conciliari.

XLIX POLYCARPVS, IGNATII condiſcipulus, ſed IGNATIO iunior, IOANNEM, Apoſtolum, audiuit et coluit. Vir magno animo

praeditus et constans, Antistiti Romano, Graecas orientalesque ecclesias ad nutum arbitriumque ecclesiae Latinae redigere cupienti, fortiter restitit, maxime in controuersia de Paschate celebrando. Conf. EVSEBIVS Hist. Eccles. IIII, 15. Docuit et concionatus Smyrnae est, in loco celebri et commerciis frequente. Hic Episcopus fuit, et Epistolam ad Philippenses scripsit, quam DALLAEVS et nouitii quidam improbant, etsi nullum est dubium, eam a POLYCARPO fuisse scriptam. Ceterum amissa est, et solum fragmentum eius hodie extat. Vid. IRENAEVS, et ex IRENAEO EVSEBIVS IIII, 14. Praeterea laudat EVSEBIVS quandam Smyrnensium Epistolam de POLYCARPO IIII, 15, quam integram ediderunt IAC. VSSERIVS et HENR. VALESIVS, in Annotationibus ad EVSEBIVM, libro et capite citat. Illa autem Epistola, quae POLYCARPI nomine citatur ad Smyrnenses, apud nullum uetterem scriptorem fide dignum occurrit, atque adeo uir doctus hanc epistolam citans, non recte assecutus uidetur EVSEBIVM, qui non POLYCARPI ad Smyrnenses, sed Smyrnensium de POLYCARPO, Epistolam laudauit. Huc uid. VALESIVS d. l., HALLOIX, PEARSONIVS, NATALIS ALEXANDER, VSSERIVS iam citatus. Centuriatores Magdeburgici circumspecte hic sunt euoluendi.

CAPVT III
DE
PSEVDOAPOSTOLIS

PSEVDOAPOSTOLI ecclesiam, ab Apostolis fundatam, maximopere turbarunt, et religionis fundamentum a CHRISTO constitutum commentis humanis et traditionibus conuellere coeperunt, maximeque PAVLO, gentium doctori, infensi fuerunt, totumque Collegium Apostolicum conuitiis et odio prosecuti sunt, ac denique nihil non egerunt, ut doctrinam salutis aeternae labefactarent, tum necessitatem Sabbati docuerunt, et in plerisque rebus ac ritibus magnas pernitiosasque turbas dederunt. Inter hos extiterunt CERINTHIANI et EBIONITAE, contra quos Euangelium direxit IOANNES, et quos etiam coarguit IGNATIVS, IOANNIS discipulus. Similiter ecclesiae nocuerunt SIMON, primogenitus diaboli, MENANDER, BASILIDES, et NICOLAITAE, quos

quos malitiae colluuiem et cultores hominum Sycophantas uocat IGNATIVS in Epistola ad Trallianos.

II Vnde liquet, illud Apostolicum seculum non ita purum fuisse et beatum, ut ab haeresibus prorsus immune esset, sed ipsis statim ecclesiae incunabulis prauos impiosque emersisse homines, qui ambitione et odio stimulati, pacem ecclesiae inuiderent, Apostolisque callide obniterentur. Primus omnium CERINTHVS abnegauit CHRISTI diuinitatem, et, communi generationis lege, Ioseph et Mariae fuisse filium, dixit, totumque Euangelium sustulit, et reuelationes, per Angelos sibi factas, impie ac imprudenter iactauit. Vid. IRENAEVS aduersus haereses I, 25, TERTVLLIANVS de Praescript. haeret., c. 48, EPIPHANIVS Haer. XIIX, EVSEBIVS H. E. III, 28, et CHRYSOSTOMVS in Comment. ad Galatas, c. 2. Turbauit ecclesiam Antiochenam, PAVLOque, Apostolo, aduersatus est, et perpetuus pertinaxque diuinae ueritatis hostis fuit, omnibusque deinceps hostibus uiam praeiuit, ac IOANNI contra eum scribendi Euangelii occasionem dedit, prout recte iudicant Patres, atque inter hos primus IRENAEVS. Ruina domus oppressus est, fugiente eius societatem IOANNE, cuius nomen libro commentorum pleno praescribere uoluit, ut ex scriptore antiquissimo, DIONYSIO ALEXANDRINO, refert EVSEBIVS. Ab hoc, uelut primo impietatis magistro, omnes haeretici θεομάχοι artes impugnandi huius dogmatis acceperunt. In quo tamen dissentit SOCINVS in Explicat. c. I IOANNIS, sed contra omnem antiquitatem. Perperam HVGO GROTIVS negat, IOANNEM Cerintho atque eius sectatoribus Euangelium suum opposuisse, in Prooem. Annot. in IOANNEM. Sed idem obloquitur antiquitati et testimoniis Patrum, magno consensu affirmantium, Cerinthum Ebionemque negasse CHRISTI diuinitatem, et eo quidem tempore, quo IOANNES Euangelium, his praecipue oppositum, scripserit.

III EBION, socius atque sectator Cerinthi, quem nominatim appellat IGNATIVS in Epistola ad Philadelph., uocatque eum πένητα τὴν διάνοιαν, siue pauperem intellectu, scil. spirituali, et rerum diuinarum inopem, qui pariter abnegauit diuinitatem CHRISTI, et legem Euangelio praetulit, ac solum MATTHAEI Euangelium recepit, ex

Vet. Teſt. duntaxat Pentateuchum admiſit, et quaedam uerba nihilo minus ex eo reiecit, atque ex Iudaeis exiit, Sectamque Samaritanorum ante profeſſus eſt, quae ipſis Iudaeis inuiſa erat. Vid. poſt IGNATIVM IRENAEVS III, 59, V, 2, TERTVLLIANVS libro de Carne CHRISTI, c. 14, libro de Praeſcript. c. 48, EPIPHANIVS Haer. XXIX, XXX et LI, EVSEBIVS, III, 27. PHILASTRIVS Ebionem nominauit diſcipulum Cerinthi, quo in loco, de perſona CHRISTI et ſublato Euangelio conueniebant CERINTHVS et EBION.

IIII At in pleriſque aliis EBION diſſentit a CERINTHO, et quantum ad baptiſmi repetitionem, a congreſſu inſtituendam, ac alia capita. De cetero conflauit centonem quendam, ut multiplicem hydram, adeo, ut nec Iudaeus, nec Chriſtianus, eſſet, Chriſtiani autem nomen habere uellet cum diſcipulis ſuis. Coetum uero ſuum eccleſiam dici nollet, ac Synagogae nomen retinuit, id quod ex EPIPHANIO et HIERONYMO conſtat. Iudaei uero per contumelium appellarunt Chriſtianos nomine Ebionitarum, quos ORIGENES appoſite uocat πτωχὲς τῇ διανοίᾳ, in Philocalia, c. 1, p. 48.

V Prima haec confuſionis religionum Epocha fuit, cuius doctrina extitit multiceps beſtia, et conſilia conatuſque hos infelices eſſe, oſtendit, nec minus pietatem, quam prudentiam eccleſiaſticam, labefactat, maioraque diſſidia et turbas excitat ac fouet, partes diſſidentes conciliat, et domi nocet, foris nihil obtinet ac lucratur.

VI Ante haereticos Iudaizantes, CERINTHVM et EBIONEM, dux impietatis et anteſignanus fuit SIMON MAGVS, homo atheus atque ethnizans, patria Samaritanus, qui non modo ſimulauit ſanctitatem, ſed etiam diuinitatem ſibi arrogauit, et negauit, CHRISTVM uerum eſſe filium Dei, atque eam ob cauſam πρωτότοκος τῦ ἀρχεκάκυ ὄφις, primogenitus extremi mali ſerpentis, dictus eſt ab IGNATIO in Epiſtola ad Trallianos. Ex cuius Secta prodiit MENANDER, ex MENANDRI ſchola BASILIDES et SATVRNINVS, ac reliqui eiuſdem ſectatores. Vid. IGNATIVS in dicta Epiſtola, et in Epiſt. ad Philadelphenſes, IRENAEVS I, 30, EPIPHANIVS Haer. XXI, THEODORETVS Haer. fabul. I, AVGVSTINVS de Haereſi c. 1. Qui omnes in eo conſpirabant, ut ueram CHRISTI humanitatem negarent.

VII

VII Vbi quaedam adhuc expendenda sunt, quorum primum est, SIMONEM MAGVM non tam fuisse haereticum, quam Christianae religionis illusorem et sacrilegii criminis, quod Simonia dicitur, parentem. Deinde a SIMONE SANCO, qui Romae cultus est, distingui oportere, in quo IVSTINVS MARTYR et plerique Patres sunt decepti, IVSTINVS in primis ob Latinae linguae imperitiam et utriusque nominis uicinitatem. Vid. EVSEBIVS H.E. II, 13, HENR. VALESIVS, BOSIVS, aliique. Postremo SIMONIS impiam Sectam non diu durauisse, et ORIGENIS aeuo intra paucos constitisse, ac postea desiisse, neque tamen non alias haereses ab inferis excitatas fuisse. Illud etiam addi debet, Simonianos religionis suae causa martyrium suum non obiisse, et in paganorum gratiam idolis litasse, ut TERTVLLIANVS in Praescript. c. 1 testatur. Voluerunt ergo paganismum cum Christianismo miscere, quasique et temperare. SIMONIS discipulus fuit MENANDER, ac haeresin praeceptoris defendit, ut est apud IRENAEVM I, 21, et EVSEBIVM III, 20, quibus add. EPIPHANIVS Haer. XXII. MENANDRI discipulus BASILIDES fuit, atque ex eiusdem schola prodiit SATVRNINVS, ut ex iisdem liquet.

IIX Simul his temporibus THEODOTVS et CLEOBVLVS de CHRISTO perperam senserunt ac docuerunt, quos maligni nepotes uocat IGNATIVS in Epistola ad Trallianos. Ex quo desumitur et colligitur, hos fuisse NICOLAITAS, qui, teste IGNATIO, falsum hoc nomen sibi sumpserunt, et factum NICOLAI, Diaconi, uxorem, facta, cui uellet, nubendi potestate, dimittentis, eo traxerunt, ut communio uxorum et adulteria admitterentur atque approbarentur. IRENAEVS et TERTVLLIANVS NICOLAVM ex VII Diaconis autorem haereseos putant. HVGO GROTIVS eandem sententiam approbat in Act. Ap. VI, 5. EPIPHANIVS Haer. XXV meminit NICOLAI, atque in eo intemperantiam libidinis notauit. AVGVSTINVS dubitat de Haeres. c. 5, et ante utrosque CLEMENS ALEXANDRINVS Strom. III. Doctrinam uitamque NICOLAITARVM perstrinxit, oditque, diuinus Apostolus Apocal. II, 15. Iidem dicti sunt GNOSTICI, quorum scelera et pudenda, et pessima, extiterunt, quae Pagani Christianis affinxerunt, et inde traducendi, et uexandi ansam sumpserunt. Hos respexit IVDAS, Apostolus, in Epist. u. 4. Non solum luxuria se polluerunt, sed etiam diuinitatem CHRISTI negarunt,

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0083
DFG

garunt, ut ex IGNATIO et IRENAEO liquet. Pariter ergo et IOANNES contra hos atque CERINTHIANOS, et EBIONITAS, scripsit, caputque religionis de persona CHRISTI luculenter et clare confirmauit. Vid. BARONIVS T. I Annal., p. 642, et SCOGLIVS ex eodem.

IX NICOLAVS ceteroquin uerosimiliter non fuit unus ex VII Diaconis Apocalypticis, a quo dicti sunt haeretici Nicolaitae, quod partim ex testimonio scriptorum partim ex suffragio IGNATII, euincitur. Illud extat Apocal. VI, 5, hoc occurrit in Epist. ad Trallianos et Philadelph., ubi honorifice NICOLAI mentio est facta.

X Tum uero IOANNES, Apostolus et Euangelista, BASILIDIANOS refellit, quippe qui mysteria sua in occulto retinebant, contra quam uult et requirit diuinus Codex. Quorsum conf. IOANNES, Euangelista, V, 39. Vnde refelli potest EMANVEL SCHELSTRATIVS, Canonicus Antuerpiensis, nunc Biblioth. Vatic. praefectus.

XI Sed uero non praetermittendum est de SIMONE, ab eo traditam esse μετεμψύχωσιν, sed quae a Pythagorica et Platonica multum diuersa erat, propterea, quod iste asseruit, migrationem animarum in corpora humana eiusdem sexus, non in corpora brutorum, ut interpretantur plerique Patres, sed eius hypothesin melius accuratiusque assecutus est AVGVSTINVS de Ciuitate Dei X, 30.

XII VALENTINVS ad insaniam eo usque processit, et monstra Aeonum confinxit, IOANNISque Euangelium ex HESIODI fabulis PLATONISque lacunis deduxit et explicauit, ac triginta Deos, seu Aeonas, quos ita nominauit, XV mares ac totidem feminas a Bytho et Sige, tanquam parentibus, genitos fuisse, contendit, atque ad hoc institutum HESIODI Theogoniam impio ausu accommodauit. Vid. IRENAEVS aduersus haereses, I, 10. TERTVLLIANVS aduersus Valentinum. Conf. PEARSONIVS in Vindiciis IGNATII P. II, Moine ad POLYCARPVM. Vid. BLONDELLVS in hanc rem.

XIII VALENTINVS ab excessu IGNATII haeresin excitauit, atque hinc in Epist. IGNATII ad Magnesianos, Sige est appellatiuum nomen, et silentium significat. Immo, neque hoc uerbum in omnibus IGNATII exemplaribus occurrit. Tum hinc colligitur, Platonicam philosophiam seculo in primis II et sqq. coepisse esse in usu, ac deinde ARIANIS turban-

di

di ecclesiam et corrumpendi ueritatem coelestem, omnino occasionem dedisse. Hinc TERTVLLIANVS PLATONEM haereticorum condimentarium uocat, quem sapientes Graeci et Rom. deum philosophorum uocabant. Praeterea a Simonianis oriundi sunt Docetae, qui negarunt, Christum esse uerum hominem. Adhaec Iudaica diuortiorum licentia asserta et probata ab Ebione, non polygamia, ut uulgo tradunt, quod ex CLEMENTE ALEXANDRINO Strom. III patet. Ex quo IRENAEVS aduersus haereses I, commode explicandus, ubi traditur indifferentes coitus et multas nuptias eum introduxisse. Ex quibus intelligitur, mores et ingenia hominum cum temporum uicibus mutari, et haereses nunc esse crassas, nunc subtiles, quae, annitente diabolo, extiterunt. Post tria enim secula callidius grassari coepit, et gentium quoque Asiae et Europae ingenia uaferrime distinxit.

XIIII SIMON tempore Claudii, MENANDER Vespasiani, SATVRNINVS tempore Adriani, BASILIDES, CERINTHVS, EBION tempore Antoninorum uixerunt. Hinc commode intelligendus est HENRICVS VALESIVS, qui existimat, imperante Adriano, omnes fere haereses ab inferis esse excitatas, II, 10, ad Euseb. Nam abunde patet, etiam Apostolorum seculo Pseudo-apostolos ecclesiam turbasse.

CAPVT IIII
DE
CONCILIIS ALIISQVE REBVS

Apostoli, A. C. L, alii LI, alii etiam XLIX, aut proximo, Concilium habuerunt, idque Hierosolymis celebrarunt occasione dissidii inter Iudaeos et gentes excitati, quod Apostoli et Presbyteri communi decreto et suffragio pie sapienterque composuerunt, et controuersiam, de legis Mosaicae et circumcisionis necessitate coeptam atque agitatam, deciderunt, nullumque iugum gentibus, libertate Christiana donatis, imponere uoluerunt, tandemque edixerunt, ut Idolothytis, scortatione et suffocato sanguine abstinerent. Vid. ACT. XV, 20. Vnde colligitur, Collegium Apostolicum, regimine aristocratico comprehensum, nullam habuisse monarchiam, neque unius autoritate gubernatum fuisse. Hinc PETRVS nihil ibi sua potestate definiuit, sed de sententia Collegii Apostolici et Presbyterorum decisio facta, cuius interpres fuit IACOBVS.

II Nullus autem Episcopus, nedum Romanus, tribus prioribus seculis haereses ac religionis controuersias solus decidit et damnauit. Sed Synodi

eam ob causam habitae, harumque iudicio et sententia lites omnes sunt sopitae. Quae ratio desumpta est a praxi Apostolica, quae formam modumque procedendi praebuit, ut constaret, unius imperio nihil fieri, nihilque decidi, oportere, sed ecclesiarum communione et consensu decerni ac decidi controuersias, Synodiceque terminari. Similiter nomina dignitatum Metropolitani, Primatis, Archiepiscopi, Exarchi et Patriarchae, non a CHRISTO et Apostolis instituta atque introducta sunt, quo posito, sequitur, non iure diuino, sed humano, esse repetenda, quippe quae ex diuisione prouinciarum imperii, et urbium, in eo sitarum, conditione ac praerogatiua originem duxerunt. Postea dioeceses ad formam prouinciarum imperii accommodatae sunt ac distributae ordinis disciplinaeque causa. Quorsum uid. BLONDELLVS, et inter ipsosmet Gallos DVPINVS de Antiqua ecclesiae disciplina.

III Iure quidem diuino Episcopi et Presbyteri aequales sunt, ac pari et aequa ratione effectuque potestatem sacri muneris exercent, id quod probat cum praxis Concilii Hierosolymitani, in quo non tantum Episcopi et Presbyteri, sed etiam Diaconi et confessores, consilia et suffragia habuerunt, tum usus regiminis primitiuae ecclesiae id declarat. Vid. CYPRIANVS, item EVSEBIVS, et in primis CHRYSOSTOMVS Hom. ad 1 Tim. III. Iure tamen humano, et quidem ecclesiastico, discrimen introductum est inter Episcopum et Presbyterum, idque sec. II, aliquanto post Apostolorum tempora, quod etiam DAVID BLONDELLVS agnoscit in libro pro Apolog. HIERONYMI.

IV Vnde colligo, iure diuino eandem potestatem inesse Presbytero, quae est in Episcopo, et parem aequalemque in utrisque esse huius potestatis uim, tum eodem iure Presbyteros habere potestatem ordinandi, et in quibusdam ecclesiis reuera ordinationis partes peregisse. Adhaec Diaconos quoque olim sacerdotibus annumeratos fuisse, refert OPTATVS MILEVITANVS I, hinc etiam eos ad Synodos conueniisse, et sententiam ibidem dixisse, EVSEBIVS testatur. Demum id congruit doctrinae placitisque Romanae ecclesiae, quae docet sacramentum ordinis esse unum, atque adeo tacite concedit, uigore huius sacramenti aequalem potestatem tribui Episcopo et Presbytero, tum ratione ordinis, tum ratione totius spiritualis iurisdictionis, quae in potestate clauium consistit, atque ex institutione diuina pari et aequo modo conuenit. Quod reliquum est, oppido iam constat, discrimen dignitatis horum nominum non ab aeuo Apostolico arcessi, sed post Apostolicum coepisse, quo de argumento uehementer disputant BLONDELLVS et

HENRI-

HENRICVS HAMMONDVS, quorum hic ad seculum II, ille ad III, huius originem discriminis referunt. At enim uero substantia ministerii aequaliter competit Episcopis et Presbyteris, nisi quod secundum externam disciplinam, seu rationem inspectionis, cura, dispositionis atque ordinis diuersitas, inter utrosque intercedit. Vid. ACT. APOST. XX, 28, TIT. I, 5, 7, I PETRI V, I, 2, quorsum etiam nostrates, CHEMNITIVS, et inter Reformatos BLONDELLVS, DALLAEVS et SPANHEIMIVS, referuntur.

V Maxime autem sub hoc tempus Christianorum constantia eluxit, quorum Symbolum erat, In fide stare et diligere inimicos. Hinc regulae Christianismi practici petebantur atque ab hac radice uiui uigentesque fructus nascebantur. In primis mutua caritas, quae tam firma erat et efficax, ut non modo se, sed etiam hostes, diligerent, officiis iuuarent, ac pro iis deprecarentur. Pariterque hic caritatis effectus, ueluti radii, elucebant in Agapis, officiis et salutationibus, ac uisitationibus et ministerio eleemosynarum, quod ita tunc feruebat, ut multi possessiones suas uenderent, et indigentes, praesertim martyres uinctos, atque carceribus inclusos, sustentarent. Quod colligere licet ex TERTVLLIANO et CYPRIANO. Quorsum spectat LVCIANVS in libro de Morte Peregrin. et PLINIVS in Epist. ad Traianum libro X. Accedit arctior et mystica omnium Christianorum officiorum communio, quae in pietate et caritate, tanquam fundamento, innitebatur. Hinc etiam martyrum natales festi erant, et martyria quoque ac beatae martyrum mortes natales dicebantur, quod non modo Graeci, sed etiam Latini, imitati sunt, ut tam ex Patribus, quam ex monumentis, liquet.

VI Tum uero hoc seculo martyres euasere omnes uiri diuinitus afflati, sigillatim MATTHAEVS, MARCVS, LVCAS, PETRVS, PAVLVS, THOMAS, IACOBVS, PHILIPPVS, THADDAEVS, TIMOTHEVS, ante hos omnes STEPHANVS, protomartyr. De reliquis uide acta martyrum, martyrologia, menologia, quae tamen subinde interpolata, et superstitione fabulisque contaminata, sunt, et caute adeo legi debent.

VII Possunt martyres distingui ratione locorum, in quibus passi sunt, ut uel Alexandrini, uel Thebaei, quos enumerat bona fide EVSEBIVS, uel Romani, dicantur, inter quos fuerunt Episcopi urbis Romae, LINVS, CLETVS, CLEMENS, ANACLETVS, uiri atque Antistites sancti. Reiiciamus autem martyres partim in certos et fabulosos, partim fucatos, et sanctitatem mentientes. De his uid. VOETIVS Disp. select. P. III, p. 473.

IIX Quatuor autem martyrum genera uulgo traduntur. Primus ordo complectitur protomartyres, quales STEPHANVS et THECLA memorantur. Deinde hieromartyres appellantur martyres infulati, id est, Episcopi. Tertius ordo continet megalomartyres, in quorum classe est Catharina, ut uidere licet in Paradiso, siue libro uitarum, Graece editarum. Huc referunt DEMETRIVM, GEORGIVM ac THEODORVM, de quibus uid. Graecorum Menaea. Postremo sunt hosiomartyres, in quorum numero habent NICONEM, atque alios martyres singulari sanctitate conspicuos. Hieromartyrum meminit EVSEBIVS, et diuisim pronuntiat H. E. VI, 32. Conf. ibidem HENR. VALESIVS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn166278564X/phys_0087
DFG

IX Duae autem uexationes CHRISTI nominis seculum hoc foedarunt, altera Neronis, quae omnium prima fuit et uehementissima, altera Domitiani, quae crudelitati Neronianae extitit proxima. Neque tamen sub aliis Imperatoribus, praesertim, Claudio et Titio, Christianis parsum est, quod non tam crudelitate Imperatorum, quam malitia Praesidum et Praefectorum, euenit, ut martyrologia testantur, cuius saeuitiae minister et instigator diabolus fuit, executores autem Nero et Domitianus, sed crassiori praetextu prior, subtiliori posterior, quod Christianorum hostis temporibus et ingeniis percallide se attemperaret. Nero enim publica flagitia et incendium urbis Christianis obiecit, Domitianus impietatem et pertinaciam uitio dedit, ut ex TACITO scriptoribusque ecclesiasticis, TERTVLLIANO, EVSEBIO et SVLPITIO, patet.

X Equidem ante Neronem praeludia persecutionum fuerunt, quibus ansam dederunt Iudaei, et Christianos ualde afflixerunt, donec A. LXX huius sec. euersa est Iudaeorum respublica, iusto sane Dei iudicio, ut appareret, malitiam Iudaeorum iusta ultione castigari, quod tandem quoque accidit, cum rerum potiretur Constantin. M.

XI Capita religionis in diuino coetu omnia integra erant. Baptismi ritus simplex ac sine omni superstitione peractus, sacra Coena pariter plena porrigebatur, maximeque panis azymi usus erat, quippe quem et CHRISTVS adhibuit, et eundem morem ecclesia Latina retinuit, et CHRISTI exemplum seruauit, quanquam ecclesia orientalis panem fermentatum recepit, quae res quidem pro indifferenti debet haberi. Similiter uinum non factitium, sed uerum, distribuit, ac deinceps pro conditione locorum aqua miscendum putauit, ut ex IVSTINO MARTYRE perspici potest.

XII Ad extremum omnes Christianorum res, acta atque conuentus, ad tria in primis spectabant. Primo ad fidei causam, deinde ad morum censuram, postremo ad regiminis ecclesiastici usum et praxin, qualis uel maxime in Concilio Hierosolymitano declarabatur. Fidei caput in eo erat, ut intelligeretur, esse definitum, legem Mosis ad salutem non esse necessariam, ac Christianos in N. T. perinde cum Deo in gratiam redire, ac ueteres patres in V. T. in gratia fuerunt, non per legem, sed per gratiam IESV CHRISTI. Morum caput in eo cernebatur, ut fideles admonerentur ac iuberentur abstinere ab Idolothytis, ab impuritate et suffocato sanguine. Regimen denique in administratione ecclesiae euidens erat, ita, ut PAVLVS inter gentes, PETRVS uero inter circumcisos uersaretur, ac doceret, omnes sacri ordinis uiri pari iure dicendae in Concilio sententiae ius haberent, ac denique acta Synodica omnium consensu reciperentur, literaeque Synodicae ad ecclesias mitterentur. Quorsum uid. Act. c. XV integrum et ad Gal. II, 9.

Vittembergae, ex officina Ioannis Frider. Schlomachii,
A. CIↃ IↃCC XXXX, eodemque artis typogr. seculari.

iuata autoritate mutauit. Deceſſit Lutherus Iſlebiae A.
ntriculi uitio, praeſentibus illuſtri Alberto, Comite Mans-
e coniuge et aliis uiris, autoritate et dignitate eximiis, inter
Ionas, et *M. Coelius*. Aderant quoque duo eius filii, et pa-
deflebant. Deceſſurus pronuntiauit haec uerba, *Com-*
animam ſuam DEO, qui CHRISTVM ſibi reuelarit,
m docuiſſe et confeſſum fuiſſe, hunc ſe amare, et ſa-
demptorem colere, agnoſcere et uenerari, etſi impii hunc
perſequantur, uituperent ac criminentur. Age tandem,
pe animam meam. Paullo ante obitum *Ionam* et cir-
admonuit, ut preces funderent, et multum diligenter
I orarent, ut euangelium ſeruaret, doctrinamque ſalutis
am euerſam uellent Pontifex R. et *Concilium Tridentinum*.
nus *Lutheri*, ipſo die Concordiae defuncti, XIIX Fe-
CIↃ IↃ XLVI, Iſlebiae Halas, inde Bitterfeldium, po-
tembergam delatum, et, frequenti procerum, patrum-
iae et ciuium ſtudioſorum, comitatu, ad templum ar-
m, atque in eo, iuſſu Electoris, compoſitum huma-
Sed, A. CIↃ IↃ XLVII, cum periculum ab armis Cae-
leret, conſulto rurſus effoſſum, ac in uicinum quen-
tranſlatum eſt, quanquam Caeſar Carolus, urbem in-
is pepercit, et nihil hoſtile in mortuos decernere uo-
ituſque ab Hiſpano quodam, ut in mortui uiri cada-
, reſpondit, *ſe non iudicem mortuorum, ſed uiuorum,*
iae, in funere eius, concionatus eſt *D. Ionas*, VVittem-
eranus. In funere uero eius dixit *Melanchthon*, die XXII
nus VVittembergam delatum compoſitumque eſt. Ceterum
omnibus, et hoſtibus etiam, laudatus eſt, ob doctri-
undiam, et pleriſque dictus eſt *Neſtor Germanicus*, ſed,
i uehementiam notatus eſt a *Ioſepho Scaligero*, ſi tamen
t illa *Scaligeriana*. Sed ſtatus temporum, et repurgandae Ec-
us ardorque propugnandae ueritatis excuſant *Lutherum*, qui
durum cuneum quaerere neceſſum habebat, ut obeſi ob-
nachi tanto magis coarguerentur.